

J. P. J. Miller prof. in Altdorf
DE
TRANSLATIONE EPISCOPI

Ad Tit. VII. lib. I. Decretal.

PARS MEDIA,

EXPONENS

TRANSITUS POENAS, ET TRANSLATIONIS
DIFFICULTATEM,

QUAM

UNA CUM PARERGIS EX OMNIGENO JURE,

AUTHORE, ET PRÆSIDE ME

GEORG. CHRISTOPHORO NELLER,

Jur. Utr. Doctore, & ad SS. Theolog. Doctoratum ad-
misso, Ss. Canon. in almâ, & antiquissimâ Universitate Trevirensi
Professore ordinario, Eminentissimi Principis Electoris, & Archi-
Episcopi Trevirensis Consiliario Ecclesiastico actuali &c.

PRO EXERCITIO

AD INAUGURALIA QUALIFICANTE

publicæ disputationi proposuit

Prænobilis, ac perquam eruditus Dominus,

FRANC. GOSWINUS NICOL. FABRI, Aquensis,

Juris utriusque, & S. R. I. publici AUDITOR.

Treviris in Auditorio majore Juristarum Vici Thirici

Die 12. Septembr. horâ octavâ.

ANNO MDCCLXIII.

Augustæ Trevirorum, Typis Eschermannianis.

*Dis-
jur
55.*

Dis- jur. 55

Diss. jur. 55

28c

OPPUGNANTES,

Prænobiles, ac perquam eruditi,

D. CORNELIUS PESGEN, Confluus, Jur. utr., S. R. I.
publici, ac feudalis nunc emeritus.

D. JOANNES JACOBUS BOURQUÉ, Trevir, Jur.
utr., S. R. I. publici, ac feudalis nunc emeritus.

Rdus D. GODEFRIDUS HOENER, ex Niedermendig,
SS. Theologiæ triennalis Auditor, SS. Canonum
Studiofus,

1371 390 01

AMORI,
AC
PIISSIMÆ CURÆ
SUAVISSIMORUM PARENTUM,
FRANCISCI MICHÄELIS FABRI,
ET
MAR. ANNÆ, NATÆ HARTMAN,
ULTRA PROVERBIUM
IN SE
DESCENDENTI,
AMOR, AC PIETAS
FILIALIS,
CONTRA PROVERBIUM
ASCENDENS,
HAS STUDIORUM PRIMITIAS,
COR, VIRES, VISCERA,
OMNIA, QUÆ ACCEPIT,
QUÆQUE ACCEPTIS DONO DEI, VEL OPERA
ADJECIT, ADJICIET,
PIENTISSIME CONSECRAT
CUM LEMMATE:
HIS NUNQUAM SATIS.

FRANKLIN MICHALIS FABRI

FRANKLIN MICHALIS FABRI

FRANKLIN MICHALIS FABRI

FRANKLIN MICHALIS FABRI

FRANKLIN MICHALIS FABRI

FRANKLIN MICHALIS FABRI




§. I.

Transitûs Pœnæ.

I. **H**Æc nociva temeritas, quæ sese *turbulentis* ob
 hærefes, aut aliàs, *temporibus* * tantùm ferè
 monstravit, usque aded per sacros canones
 repressa fuit, ut inde à Sæc. XIII. exempla desint ejusdem.

* De *Arianis* transmigrantibus jam egi in parte priorè §. I. num. 5. De *Anthymo*
 Eutychemo transeunte infra. Exempla omnium ultima in nostrâ Ger-
 maniâ adscribo bello intestino inter Reges contrariæ electionis, *Philippum*
Suevum, & *Ottonem* IV.

II. Sanctionem *pœnalem* in *Episcopos* transilientes ante
Nicænum I., non invenio, imò nec in isto Concilio: * adest
 autem de *Presbyteris*, aliisque *clericis* pœna *depositionis*, &
redactionis ad laicam communionem, sive ad statum infimum in
Ecclesiâ. **



* Nicænum quippe *can. 15.* præsumptos transitus solummodò annihilat, & reducit transeuntes in derelictam sedem: *Hoc factum prorsùs in irritum ducatur: restituatur Ecclesia, cui fuit Episcopus, aut Presbyter, vel Diaconus ordinatus.* Vide Gratian. *can. 19. VII. q. 1.* Alter autem canon, nempe 16tus, de Episcopis non loquitur.

** Canon 13. sub nomine Apostolorum, loquens de Episcopo, filet pœnam; sed subsequens 14. Presbyterum, Diaconum, aut quemcunque de Clero, sine voluntate sui Episcopi transmigrantem, maximè, si reverti nolit, à ministerio publico ecclesiæ remouet, solâ laicâ communionem salvâ: canon 15. excommunicat Episcopum, qui desertores illos ut clericos susceperit. Concilium Arelatense I. an. 314. *can. 22.* sequitur canonem Apostolicum 14. *De Presbyteris, aut Diaconibus, qui solent dimittere loca sua, in quibus ordinati sunt, & ad alia loca se transtulerunt, placuit, ut his locis ministrarent, quibus præfixi sunt; qui reliquis locis suis ad alium locum se transferre voluerint, deponantur.* Similiter Antiochena Synodus an. 341. *can. 3.* præse quoad hoc secuta est prædictum canonem Apostolorum 14., & refertur à Gratiano in *can. 24. VII. q. 1.* Ast Concilium Nicænum I. *can. 16.*, apud Gratianum *can. 23. caus.*, & *quæst. ead.* excommunicat detrectantes reverti clericos, Episcopo inferiores.


III. Romani Pontifices, ut Episcopos, aliis cathedris infilientes, ad harum evacuationem, desertarumque receptionem, juxta Nicænum canonem, cogere, utebantur *excommunicatione negativâ*, i. e., talibus non communicabant.*

* Epist. Damasi I. ad Paulin. Antiochen. circa an. 378. apud Gratian. in cap. 43. VII. q. 1. *Eos quoque, qui de ecclesiis ad ecclesias migraverunt, tamdiu à communionem nostrâ habemus alienos, quàm diu ad eas redierint civitates, in quibus primùm sunt constituti: quòd si alius, alio transmigrante, in loco viventi est ordinatus, tamdiu vacet Sacerdotii dignitate, qui suam deseruit civitatem, quàm diu successor ejus quiescat in Domino.* Coustant Epp. RR. P.P. pag. 513. & 519. Ita anno 535. Agapetus I., tunc Constantinopoli præsens, petentibus Justiniano, & Theodorâ A. A., ut Anthymo, qui à Trapezunte ad illam urbem transierat, communicaret, respondit, fieri posse, si Anthymus se libello probaret orthodoxum, & ad cathedram suam reverteretur; impossibile esse, translaticium hominem in illâ sede permanere. Liberatus cap. 21. sui Breviarii, quod quære in Tom. 5. Concilior. pag. 740. De hoc casu, & Anthymo agebat postea Justinianus Imp. in Nov. 42. *Dejectus est de sede hujus regia urbis à sancta, & gloriose memoria Agapeto, sanctissima Ecclesia antiqua Roma Pontifice, eò quòd nullo modo sibi ipsi convenienti contra omnes sacros canones se intruserat Sedi: equidem Anthymus &*

ab Agapeto; & à Synode Constantinopol. planè depositus fuit; sed hoc propter *hæresin Euty. hianam*, non propter *transitum*. Hanc negativam excommunicationem quoque Hilarus Papa in casu *can. 30. VII. q. 1. an. 465.* comminatus est Irenæo, Episcopo, qui ad *Barcinonensem* ecclesiam migraverat: *Quod si Irenæus episcopus ad ecclesiam suam, deposito improbitatis ambitu, redire neglexerit, quod ei non iudicio, sed humanitate præstabitur, remouendum se ab episcopali consortio esse cognoscat.* Harduin. Tom. 2. Concil. pag. 790.

IV. *Sardicense* Concilium an. 347. asperavit pœnam contra Episcopos transeuntes, ut malum funditùs eradicaret; nempè, talibus *nec laica* communiõ relinquebatur; &, si prætexereat literas invitatorias, vel clamorem populi, *ne quidem in mortis articulo* reconciliabantur ad communionem.*

* *Can. I* ex versione Dionysii exigui: *Osius Episcopus dixit: non minùs mala consuetudo, quàm perniciosa corruptela, funditùs eradicanda est; ne cui liceat Episcopo de civitate suâ ad aliam transire civitatem; manifesta est enim causa, quâ hoc facere tentant; cum nullus in hac re inventus sit Episcopus, qui de majore civitate ad minorem transiret. Unde apparet, avaritia ardore eos inflammavi, & ambitioni servire, & ut dominationem agant. Si omnibus placet, hujusmodi perniciës sæviùs & austeriùs vindicetur, ut nec laicam communionem habeat, qui talis est: responderunt universi: placet.* Hanc pœnam vocat L. Bar. de Pilatus in *Originib. Juris Pontific.* terribilem, ut quæ primis Sæculis in aliquibus tantùm ecclesiis vix contra idololâtras, voluntarios homicidas, & adulteros relapsos, fulminata fuerit. Concilium *Aquisgranense* an. 789. cap. 24. sic epitomavit istum canonem: *Hosius Episcopus dixit: ut de civitate in civitatem quisquam si migraverit, aut Episcopus, aut Clericus, excommunicatus remaneat.* In *Decretalibus* verò *Gregorii IX.*, detractâ pœnâ, sic abbreviatus est *cap. 1. de cler. non resid.* ex *Concil. Sardic.* *Non liceat Episcopo de civitate suâ transire ad aliam: manifesta est enim causa, pro quo facere hoc attentat; cum nullus sit inventus episcopus; qui ad minorem de majore civitate transiret.* Alter canon *Sardicensis* in ordine 2dus sic sonat: *Osius Episcopus dixit: etiam si talis aliquis extiterit temerarius, ut fortâsis excusationem asserens asseveret, quod populi literas acceperit, cum manifestum sit, potuisse plures præmio, & mercede corrumpi eos, qui sinceram fidem non habent, ut clamarent in ecclesiâ, & ipsam petere viderentur episcopum: omninò has fraudes damnandas esse, arbitror; ita, ut nec laicam IN FINE communionem TALIS accipiat. Si vobis omnibus placet, statuite.* Synodus respondit: *placet.* Hunc canonem retulit S. *Raymundus* ad *tit. de elect. cap. 2.*, quasi verò *Sardicense* Concilium hanc severitatem statuisset de *quovis ad populi clamorem electo:*



cùm pergat in eos solos distringere, qui transmigrations suas his coloribus volebant excusare: videns autem nimium *Ofii* Cordubensis rigorem, adjecit parenthesin: nisi de hoc pariterit, quæ limitatio in *MStâ* Compilatione I., videlicet *Bernardi* Papiensis, omiffa est.

V. Austerioris hujus, atque ex Hispano ingenio, in *Arianos* transmigrantes justam vindictam spirante, profecti supplicii imitationem exiguam invenio. *

* Concilium *Chalcedonense* an. 451. non adoptavit in specie hanc *Sardicensem* pœnam: textum dedi in *part. prior. §. I. num. 5.*, & habet eum *Gratianus can. 26. VII. q. 1.* Concilium *Hipponense* an. 393. *Cresconium* Episcopum, qui, plebe *Rhegensis* villæ derelictâ, *Tubuniensem* invaserat ecclesiam, iussit solummodo abire, & plebe *Villarensi* esse contentum; cùmque ille non paruisset, *Carthaginense* III. an. 397. canone inter Africanos 48. nihil durius decrevit, quàm expulsionem illius ex ultimâ, implorato etiam brachio sæculari Præfidis provinciæ; textum dat *Gratianus can. 19. XI. q. 1.* Non obediit *Cresconius*, propter quod demùm an. 401. in Synodo *Carthagin.* V. per can. 77. conclusum est, requirendum esse *Numidiæ* Præfidentem, ut scriptis suis compellat eundem ad comparendum in proximo universali Africano Concilio, sub comminatione sententiæ in se promulgandæ, si emanerit. Concilium *Arelatense* IV. can. 13. alternativè disposuit: nullus cujusque ordinis clericus, non *Diaconus*, non *Presbyter*, non *Episcopus*, quâcumque occasione faciente, propriam relinquat ecclesiam, sed omnimodis excommunicetur, aut redire cogatur; quasi relinquat arbitrium pœnæ pro circumstantiis casûs. In Concilio Romano, quod propter *Formosum* Papam sub *Joanne IX.* habebatur, can. 3. mentio quidem fiebat, sed nulla innovatio, *Sardicensis* canonis: Quia necessitatis causâ de *Portuensi ecclesiâ* FORMOSUS, pro vita merito, ad *Apostolicam Sedem* proventus est; statuimus, & omninò decernimus, UT ID IN EXEMPLUM NULLUS ASSUMAT; præsertim, cùm sacri canones hoc PENITUS INTERDICANT, & præsumentes tantâ feriant ultione, ut etiam in sine laicam eis prohibeant communionem; quippe, quod necessitate aliquoties inductum est, necessitate cessante in auctoritatem sumi non est permiffum. *Harduin. Tom. VI. Concil. pag. 487.*

VI. Quin imò *S. LEO I.* Papa promovit in Oriente aliam pœnam, quæ, licet implicitè contineatur in *Sardicensi* canone, hâc tamen lenior, *Nicænâ* major, foret, nempè, carentiam utriusque *Sedis*. *

* Refert decretalem Leonis I. Gratianus *Can. 31. VII. q. 1. Collectio Isidori* mens epist. 54. §. 5. fol. 212. *Dionysius* exiguus inter decreta Papæ Leonis num. 38. Ut, si quis Episcopus, suam deserens civitatem, majorem ambitus causâ petierit, non solum eam obtinere non poterit, sed & suâ carere debet. Dedit *Harduinus* Tom. I. Concil. pag. 1768. cap. 8. *Siquis episcopus, mediocritate civitatis suæ despectâ, administrationem loci celebrioris ambiervit, & ad majorem se plebem quâcunque occasione transtulerit, non solum à cathedrâ quidem pellatur alienâ, sed carebit & propriâ; ut nec illis præsideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos per superbiam sprevit.* Hoc decretum inter alia multa emanavit ad *Anastasium*, Episcopum *Thesalonicensem*, quâ Vicarium Sedis Romana in illis partibus. Præluferunt Canones pro Gallia Episcopis dati, sive à *Siricio* Papâ, quod credit *Constant*, sive ab *Innocentio* I., ut putant *Sirmondus*, atque *Labbaus*, cap. 16. Item de his, qui de ecclesiâ ad ecclesiam transeunt, jussi sunt haberi, quasi relicta uxore ad alienam accesserint, quod impunitum esse non possit: talem Episcopum, in vasorem pudoris alieni, episcopatu privari jusserunt.

VII. Hanc decretalem cum retulissent Collectores canonum, *Dionysius*, *Burckardus*, *Ivo*, *Gratianus*, in suos Codes Decretorum, evasit ex hinc pœna ordinaria transitus. *

* Usque adeò, ut iidem Collectores apposuerint istam explicationem canoni 30. Concilii *Meldensis* de an. 845., relato in *can. 32. VII. q. 1.*, licet in fonte tantum de canonicâ desinitione conservandâ genericè loquatur, assuendo: hoc est, ut utrâque careat: ista appositio legitur quoque in duobus MStis Decretis Gratiani, quæ servantur in Bibliothecâ S. Simeonis Trevir. Eandem pœnam an. 1096. constituit *Nemausense* in Gallia Concilium, præfidente *Urbano* II. Papâ, in omnes parochiarum presbyteros, qui ambitio- nis, vel cupiditatis causâ ad aliam ditio- rem migraverint ecclesiam.

VIII. Eandem pœnam firmavit novâ Decretali *Innoc. III.* an. 1198. in cap. 3. h. t. sibi * præcipimus, ut administrationem *Herbipolensis* Ecclesiæ penitus derelinquat. . . . Quia verò *Hildesemensem* Ecclesiam, cui fuerat alligatus, unde secundum *Apostolum* solutionem querere non debebat, nimis improbè dereliquit, ne ad ipsam redeat ulterius, districtius prohibemus; cum secundum traditiones canonicas, qui ad majorem se plebem trans-

tulerit, à cathedrâ repelli debeat alienâ, & carere propriâ; ut nec illis præsideat, quos per superbiam spreuit, nec illis, quos per avaritiam concupivit: Leonem M. hîc per Innocentium resuscitari, quis non videat?

* Erat hic *Conradus* I. Baro de Ravensburg, castro Franconiæ supra Herbipolim, vir à puero educatus ad excelsa, quoniam filius Diethonis ex Adelheide, quam Imp. Fridericus I. duxerat priùs uxorem, dimittere autem propter consanguinitatem debuit: in aulâ vivens, totus quantus evasit propter consanguinitatem debuit: in aulâ vivens, totus quantus evasit aulicus, & magnus politicus, trium Impp. successivè Cancellarius, *Friderici*, *Henrici VI.*, & *Philippi Suevi*: cum duobus primis expeditiones Palæstinas suscepit; ibidémque fundationi inclyti Ordinis Teutonici egregiè cooperatus est: primùm erat *Lubecensis* electus, & confirmatus; transfivit *Hildesium*; subinde accepit indultum à *Cælestino III.* affumendi majorem ecclesiâ: placuit ipsi *Herbipolensis* propter annexum Ducatum Franconiæ: *Philippus Suevus*, cui adhæsit contra *Ottonem IV.*, procuravit ei favorem Capituli an. 1198: Postulatus neque se convertit ad Papam, neque ad Metropolitanum suum; quia ab utroque, pro partibus *Ottonis IV.* stante, nihil sperare poterat: Papa ipsum per literas, & Germaniæ Episcopus monuit, ne rediret ad *Hildesensem*, ut relinqueret nihilominus *Herbipolensem*: contempsit ille: Papa eum Romæ solemniter excommunicavit, atque pro tali per *Magdeburgensem* denunciari jussit: tentavit primùm more sæculi per mediatores rem componere, sed *Innocentius III.* absolutè voluit personalem submissionem: profectus est ergò Romanam *Conradus*, in sacco, & corrigiâ se prostravit, suum excessum recognovit, judicium non petiit, sed misericordiam, & gratiam, quam & consecutus est: vid. cap. 5. de *Clev. excom.* Fatum hujus *Herbipolensis* Episcopi describit P. GROPP, Prior Benedictinus ad S. Stephanum Herbipoli, in *Collect. noviss. Script. Wivceburg. Tom. 1. pag. 812.*

IX. Neque ad distractionem hujus pœnæ pervenisset *Innocentius*, nisi eum ex unâ parte honor sanctæ Sedis, & tunc in Germaniâ jam aliquamdiu contemni volita autoritas, ex alterâ verò parte nimia *Conradi* transeuntis capitositas, coëgissent. *

* Epistolæ *Innocentii* palam dicunt, quòd ipsi olim fuerint boni amici, etiam à facie invicem noti; protestantur sinceram *Conradi* dilectionem: dolent

de notâ inobedientiæ, quam vir, mundanis principiis excæcatus, incurrit, *cap. 5. de major. & obed.* Imò verò illa epistola, quam directè misit Papa ad *Conradum*, manifestè prodidit gratiam in pectore gestam: *Omni ergò excusatione cessante, si apud nos desideras gratiam invenire, mandatum studeas Apostolicum adimplere, non rediens ad Hildesensem Ecclesiam, & ab Herbipolensi recedens, ut tunc tandem, quem circa te in hoc etiam geramus affectum, evidenter agnoscas.* Gonzalez ad *cap. 3. h. t. num. 3.* Opus ipsum demonstravit discretionem *Innocentii*, quia distulit tam diu providere Herbipoli de novo Episcopo, donec *Conradus* humiliaretur, ut ab eo posset exaltari. Quàm verò de afsassinio *Conradi* doluerit anno 1201. idem Papa, hodieque testantur ejus literæ.

X. Circa idem ferè tempus *Innocentius* III. alium Germaniæ Episcopum, nempè *Wormatiensem*, * propter transitum ad *Moguntinam* Ecclesiam, cùm is diu sibi rebellis fuisset, ita cicuravit, ut longa recordatio tales casus amplius non retulerit.

* Erat hic *Lupoldus* à Schönfeld, de partibus *Philippi* Suevi, vir acerrimus, ac bellicosus: an. 1200. postulabatur ad *Moguntinam* Sedem, tribus tantum Canonicis *Sigfridum* I. ab Eppenstein eligentibus: hunc profligavit armis, ut pergeret Romam: occupavit Archiepiscopatum juxta suum Episcopatum, licet postulationem cassasset Papa per *cap. 23. de elect.* Incubum alienæ ecclesiæ excommunicavit Pontifex; at ille vicissim istum, ardetes pariter candelas pro solemnitate adhibens; sed & arma cum excommunicato *Philippo* Rege ubique circumferens, plurimumque nocens, perrexit tandem in Italiam cum exercitu contra ipsummet Papam: Parricidium *Philippi* Regis, ab *Ottone* Comite *Witelsbacensi* Bambergæ an. 1208. peractum, fatale ipsi fuit, imò salutare pro animâ; tunc enim à Papâ, & Imp. *Ottone* IV. pravalentibus, utrâque ecclesiâ, quin & Imperio exul factus est, *Wormatiensem* interim regente *Sigfrido* Moguntino; neque enim alium Vangionibus Episcopum constituit *Innocentius* loco hujus circumerrantis, & palantis. Tandem fortuna rediit ex gravi dissidio ejusdem Papæ cum Imp. *Ottone* IV. pariter excommunicato; contra quem electus *Fridericus* II. ab exilio recepit an. 1212. *Lupoldum*, & *Innocentio* reconciliatum restituit in suum Episcopatum, cui usque ad an. 1217. laudabiliter præfuit. *Gallia Christiana* Tom. 5. pag. 675. *Schannat* Histor. Episcop. Wormat. pag. 363.

XI. Aliam, prorsus extraordinariam, atque ex singulari

arbitrio, pro rerum circumstantiis, *profectam* transeuntis Episcopi pœnam lego inter epistolas *Hilari* Papæ *, anno 462. *Hermeti* inflictam esse propterea, quòd à *Bitterrensi* Episcopatu transivisset ad *Narbonensem* archiepiscopatum; nempè ut in eo quidem *permaneret*, sed *absque potestate ordinandi Episcopos*. **


* Edidit super hoc negotio primus *Bavonius* Tom. VI. pag. 263. & seqq. duas *Hilari* epistolas ex veteri Codice MS. *Arelatensis* Ecclesiæ, primam ad *Leontiam* Arelatensem, alteram ad Episcopos *Viennensis*, *Lugdunensis*, *Narbonensis* primæ, & secundæ, & *Alpium Apenninarum*. In epist. ad *Leontium* sic scribit Papa: *cognovimus, . . . quòd iniquissimâ usurpatione quidam Hermes Episcopatum civitatis Narbonensis execrabili auctoritate præsumpsit: in alterâ vocat Hermetis factum præsumptionis improbitatem, oburgatione dignissimum, quod SS. Patrum decretis, & ipsi repugnet canonum institutis.*

** Indulgentiùs *Hermetem* habuit *Hilarus*, ingenio mitis, tum propter bonam ejus conversationem, tum pacis amore: *Scimus enim, & jam diu de memorati fratris conversatione nihil habemus ambiguum, cum antea vita ipsius cursum, & retrò antè postum nostro revolventes animo hos illum, quos in eo arguimus, INCURRISSE potius, quàm FECISSE, excessus, de quibus præsepte fratrum numero Concilio, ex diversis provinciis ad diem natalis nostri in honorem beati Petri Apostoli per Dei gratiam congregato, presentibus fratribus, & Coëpiscopis nostris Faustis, & Axanio, atque agentibus plurimis, quæ vigorem respiciunt, auctoritatèque judicii, id à nobis pacis amore est constitutum, ut in sententiâ, quam sub animadversione utriusque legationis inde directæ, Christo Domino nostro inspirante, protulimus, neque charitas evangelica indulgentia, neque Apostolica virga defuerit disciplina; namque in totum nec remittere nos fecit indulgentia, nec affectio coërcere. Ei, qui NUNC Ecclesiæ Narbonensi PRÆSIDERE PERMITTITUR, ORDINANDORUM Episcoporum ob hac, quæ prave facta sunt, SUSTULIMUS POTESTATEM. Admonet deinde Papa, ne quis imposterùm imitetur exemplum Hermetis: *Vestra Fraternitatis in Domino sincera dilectio . . . eorum taliter, quæ in Narbonensi provinciâ emertere, meminere, UT TESTETUR FACTUM POTIUS, QUAM SUMAT EXEMPLUM, quod ita deinceps esse nolumus, SICUT NOVIMUS, NON FUISSE.**

XII, Unicus sine vindictâ canonicâ transitus est, cùm
Archi-

Archi-vel Episcopus eligitur *in summum Pontificem*; jam pridem quippe extra attentionem constitutum est decretum Concilii Romani de an. 904., de quo supra num. 5., *ut factum FORMOSI in exemplum nullus assumat*: * Creati non ampliùs *transferuntur* in Cathedram Petri, sicut olim, sed pro lubitu suo *transseunt*, vel etiam retinent unà cum Papatu præhabitam Sedem. **

* *Primus* post illud decretum ex archiepiscopo *Ravennatum*, quam in Sedem de *Bononiensi* fuerat per *Landonem* Papam translatus, evasit an. 912. Pontifex Romanus *Joannes X.*, operâ *Theodora*, scorti nobilissimi, violenter intrusus, ut scribit ex *Luitprando Cæs. Baronius* Tom. 10. pag. 663. num. 13., postquam sex ante illum vicibus nondum Episcopi ad Sedem Apostolicam evecti fuerant; an. 965. *Joannes XIII.* ex *Narniensi*; an. 974. *Benedictus VII.* ex *Sutrino*; an. 984. *Joannes XIV.* ex *Papiensi*; an. 999. *Sylvester II.* ex *Ravennatensi*; an. 1009. *Sergius IV.* ex *Albanensi*; an. 1013. *Benedictus VIII.* ex *Portuensi*; an. 1046. *Clemens II.* ex *Bambergenesi*; an. 1047. *Damasus II.* ex *Brixinensi*; an. 1055. *Victor II.* ex *Eistetensi*; an. 1058. *Nicolaus II.* ex *Florentino*; an. 1061. *Alexander II.* ex *Lucensi*; an. 1087. *Urbanus II.* ex *Ostiensis*; an. 1125. *Honorius II.* ex eodem; an. 1153. *Anastasius IV.* ex *Sabinensi*; an. 1154. *Hadrianus IV.* ex *Albano*; an. 1181. *Lucius III.* ex *Ostiensis*; an. 1185. *Urbanus III.* ex *Mediolanensi*; an. 1227. *Gregorius IX.* ex *Ostiensis*; an. 1241. *Cælestinus IV.* ex *Sabino*; an. 1254. *Alexander IV.* ex *Ostiensis*, & *Velitrensi*; an. 1261. *Urbanus IV.* ex *Hierosolymitano*; an. 1264. *Clemens IV.* ex *Sabinensi*; an. 1276. *Innocentius V.* ex *Ostiensis*; an. eod. *Joannes XX.* ex *Tusculano*; an. 1287. *Nicolaus IV.* ex *Pranestino*; an. 1303. *Benedictus X.* ex *Ostiensis*; an. 1305. *Clemens V.* ex *Burdigalensi*; an. 1313. *Joannes XXII.* ex *Portuensi*; an. 1334. *Benedictus XII.* ex *Mirepicensi*; an. 1342. *Clemens VI.* ex *Rotomagensi*; an. 1352. *Innocentius VI.* ex *Ostiensis*; an. 1378. *Urbanus VI.* ex *Barensis*; an. 1404. *Innocentius VII.* ex *Ravennatensi*; an. 1506. *Gregorius XII.* ex *Constantinopolitano*; an. 1409. *Alexander V.* ex *Mediolanensi*; an. 1448. *Nicolaus V.* ex *Bononiensi*; an. 1455. *Calixtus III.* ex *Valentino*; an. 1458. *Pius II.* ex *Senensi*; an. 1464. *Paulus II.* ex *Cervinensi*; an. 1484. *Innocentius VIII.* ex *Melphitensi*; an. 1492. *Alexander VI.* ex *Portuensi*; an. 1503. *Pius III.* ex *Senensi*; an. 1521. *Hadrianus VI.* ex *Dertusensi*; an. 1523. *Clemens VII.* ex *Narbonensi*; an. 1534. *Paulus III.* ex *Ostiensis*, & *Veliterno*; an. 1550. *Julius III.* ex *Pranestino*; an. 1555. *Marcellus II.* ex *Regiensi*; an. eod. *Paulus IV.* ex *Ostiensis*, & *Veliterno*; an. 1566. *S. Pius V.* ex *montis regalis*; an. 1585. *Sixtus V.* ex *S. Agathæ*;



an. 1590. *Urbanus VII.* ex *Rosianensi*; an. 1591. *Innocentius IX.* ex *Alexandrino*; eod. an. *Clemens VIII.* ex *Immolensi*; an. 1605. *Leo XI.* ex *Prænestino*; an. 1621. *Gregorius XV.* ex *Bononiensi*; an. 1644. *Innocentius X.* ex *Antiocheno*; an. 1655. *Alexander VII.* ex *Neritonensi*; an. 1670. *Clemens X.* ex *Camerino*; an. 1676. *Innocentius XI.* ex *Novarino*; an. 1689. *Alexander VIII.* ex *Brixienti*; an. 1691. *Innocentius XII.* ex *Neapolitano*; an. 1724. *Benedictus XIII.* ex *Beneventano*; an. 1730. *Clemens XII.* ex *Frascatino*; an. 1740. *Benedictus XIV.* ex *Bononiensi*; an. 1758. *CLEMENS XIII.* ex *Paduano*, *Episcopis*, *Archiepiscopis*, & *Patriarchis*, evaserunt summi *Episcoporum*: En 67. *Papas* ex *Episcopatibus* assumptos post prædictum *Concilium Romanum*; dum econtra tantum 66. ante exaltationem non erant *episcopi*; & sic unâ vice pluries posthabebatur, quam observabatur, can. 3. ejusdem *Concilii*.

** Jam *Clemens V.* retinuit cum *Papatu Burdigalensem* cathedram: de *Benedicto XIII.* memorat *L. B. de Pilatus*, quod post multas lachrymas novæ suæ electioni non aliàs confenserit, nisi retentâ priore sponsâ, *Beneventanâ Ecclesiâ*: *Benedictus XIV.* pluribus annis perrexit tenere *Archiepiscopatum Bononiensem*: ergo summi *Pontifices* transeunt, si velint, retinent priorem *Sedem*, cum malunt, unâ cum *Romanâ*.

§. II.

Translationis antiquissima difficultas.

I. Contra *canonicas translationes* non quarentium eas *Episcoporum antiqui* sæpè plus difficultatis fecerunt, quam *spiritus*, & *litera SS. canonum* exposcebat; * sæpè quidem, ut *transmigrationibus* eò fortius opponerent repagulum:

* Rectè dixit *Anonymus antiquus* in tractatu de *translat.* cum *Jure Orientali* edito: *Migratio prohibita est, non translatio*; & can. 25. VII. q. 1. *Non ergò benè intelligunt ecclesiasticas regulas, qui hoc negant, causâ necessitatis, vel utilitatis fieri posse, quoties communis utilitas, aut necessitas persuaserit*; equidem *Harduinus* hanc *Pelagii II.* epistolam spurii *Isidori* meritis attribuit, nihilominus compositor rectè sensit. *Optimam*, quidquid in contrarium dixerit *Florens*, distinctionem fecit *Nicephorus lib. 14. cap. 39.* inter *μετάθεσις*, translationem, *μετάστασις*, transmutationem, atque *μετάβασις*, transitionem; quia *Nicænus canon* utitur verbo: *μεταβαίνειν*, transire, & *Sardicensis* verbo: *μεθίστασθαι*, se translocare, locum mu-

tare: hæc verba, *transmutatio*, & *transitio*, inquit Nicephorus, *de animatis*, & *eis*, qua proprio arbitrio, & voluntate moventur; transferri autem, & *translatio*, de inanimatis, atque *eis*, qua veluti ab aliis moventur, dicitur; ita, ut *transmutatio*, & *TRANSITIO* eorum sit, qui ex sede sua in sublimiores involant thronos; *TRANSLATIO* autem eorum, qui ipsi *INVITI* ab aliis alio producentur. Refert autem eo loco Nicephorus plurima exempla canonicarum translationum, à nemine improbarum, tam antiquis temporibus, quam sua ætate; sicut pridem ante ipsum fecerat *Socrates* lib. 7. cap. 35. 39., & ex eod. *Historia Tripartita* lib. 12. cap. 8., nec nov. *Theodoretus* lib. 5. cap. 4. & 8. Quibus solis exemplis redarguit *Balsamon* in *exposit. canonis* 15. *Nicani* illos Græcos, qui aliquando *alio* translationes improbaverant.

II. Sanè, quæ obtentu *SS. Canonum* an. 381. *S. Gregorio Nazianzeno*; * an. 418. *Perigeni*; ** an. 431. *Proclo****, velut transmigrantibus acciderunt, hæc referenda sunt, sive ad invidiam, sive ad nimis tenuem sacrarum regularum expositionem.

* De *S. Gregorio* hoc vide historiam in *part. prior. §. I. num. 7.* Adde hic, ipsam quoque *S. Ambrosium* Mediolanensem cum Synodo Italicâ plûs, quam hafitâsse, an idem *S. Gregorius* rectè pervenisset ad Patriarchatum Constantinopoleos; quanquam enim hæc Synodus, absentibus partibus, nihil definire voluerit, præconcepam opinionem suam tamen *Theodosio* Imp. sic aperuit: *reverè advertēbamus, Gregorium nequaquam secundum traditionem Patrum Constantinopolitana ecclesia sibi sacerdotium vindicare.* *Harduin.* Tom. I. *Concil.* pag. 845. Erant autem Occidentales isti cum *Damaso* Papâ à *Maximo* Cynico, *S. Gregorii* æmulo, finistrè præventi, usque ad eò, ut, postquam *S. Gregorius*, amore pacis, sponte abdicaverat, illi adhuc pergerent stare pro *Maximo* contra *Nestarium*, qui in locum *S. Gregorii* suffectus fuerat.

** *Perigenes*, Corinthi natus, educatus, & gradatim usque ad presbyterii honorem promotus, dum ibidem per multos annos præclarè conversatus fuerat, à suo Metropolitano, Corinthiorum Episcopo, totius provinciæ approbante Synodo, *Patrensibus* extitit ordinatus; sed hi eum non receperunt: igitur regressus est, velut *Episcopus vacans*, ad Metropolim Corinthi; contingente postea morte Metropolitani Corinthii, & Clerus & populus unanimi consensu, approbante *Ruso* Thessalonicensi, quâ Sedis Apostolicæ per Illyricum Vicario, *Perigenem* fecit in hunc thronum elevari. Verùm, quoniam nonnulli, apud quos tenuis obtinebat religio,



quasi canones, Episcoporum translationem vetantes, violarentur, corda aliàs unanimia à rectè facti persuasione dimoverant, idèd desuper consultus *Bonifacius I.* Papa rescripsit, *Dei consilio* sic evenisse, ut *Patrenses* populi *Perigenem* sibi ordinatum unitæ contradictionis voce arcerent, quatenus iste nunc inter suos staret tantò sublimior, qui ab externis fuerat refutatus. *Epist. 4. & 5. Bonifac. I.* apud *Constant* pag. 1020. & seqq. Vanus utique timor erat, ne peccaretur in canones per assumptionem Episcopi, aliis quidem ordinati, ab his autem constanter repulsi. Vid. *Socratem lib. 7. cap. 55.*, & *Ivonem Carnotensem in prefat. sui Decret.*

*** *Proclus* erat an. 427. à *Sisinnio* Constantinopolitano Cyzicenses ordinatus Episcopus, hi verò eum nunquam receperunt, ita, ut maneret in ecclesià Constantinopolitanà: post *Nestorii* hæretici depositionem plurimi elegerunt *Proclum*; sed resisterunt *Proceres quidam seculares* urbis, & sub prætextu obstantis canonis plebem ad se traxerunt, ita, ut pro eà vice *Maximianus* eligeretur in Patriarcham; post hujus verò decessum demùm idem *Proclus*: mentitos esse istos Proceres, ait *Socrates* in *Hist. Tripart. relatus lib. 12. cap. 7.*, dum populo imposuere, *regulam ecclesiasticam non permittere eum, qui alterius civitatis episcopus nominatus est, ad alteram migrare civitatem*; cùm canon *Antiochenus 18.*, de talibus Episcopis disponens, eos nullatenus vetet præfici alteri ecclesiæ.


III. *Perigeni* prædicto assimilare contendit *Petrus de Marca*, *Parisiensis Archiep. lib. 5. Concordiæ cap. 33. §. 4. 5. 6. Hermetem*, de quo supra §. I. num. 11., calamum acuens adversùs *Hilarum* Papam, quòd is puniverit *Hermetem*, cùm econtra *Perigenes* in casu identico à *Bonifacio I.* Papà fuisset sub comminatione censurarum manutentus in Sede *Corinthi*. Verùm, meo quidem iudicio, diversa exitit causa *Perigenis*, atque *Hermetis*: *

* Nam *Perigenes* ne quidem ab initio ordinationis à *Patrensis* pro episcopo ipsorum acceptatus fuerat; econtra *Hermes* aliquamdiu præerat *Bitervensibus* ut Episcopus, postea modò ab his expulsus; contra quos remedium juris arripere decennio ferè neglexit: hoc est, quod exprobat *Hermeti* Papa *Hilarus* in epist. ad Episcopos Galliarum: IDEÒ se frater jam, & cœpiscopus noster *Hermes* à *Narbonensi Ecclesià* credidit jure suscipi; QUIA indignè à *Bitervensibus*, quibus ordinatus est, dicebat excludi; qui si verè hoc in se factum dolet, & LEGITIMO REMEDIO SUBVENIRE proprie scisset

injuria, vindictam magis debuit sperare perpeſis, quàm veniam perpetratis. Neglexiſſe autem videtur *Hermes* recuperationem cathedræ *Biterrenſis* propter ſpem ſuccedendi *S. Ruſtico* in *Narbonenſi eccleſiâ*, cujus Archidiaconum egerat, petitus ab eodem vivente in ſuum ſucceſſorem, cui inſolitæ rei *Leo I.* Papa conſentire noluit. Nec refert, quòd hujus invasionis primus denunciator apud Papam fuerit vir laicus, *Fridevicus*, frater *Theodorici* Viſigothorum Regis, per *Joannem* Diaconum Romam miſſum; nam *Hilarius* Papa huic denunciationi non credidit ſtatim; ſed priùs à *Leontio* Arelatensi expetiit relationem ſuper factò, eandemque ſubſcriptione Episcoporum Gallia firmatam: hæc relatio debuit contraria fuiſſe *Hermeti*, cauſa inſuper maturè diſcuſa; nam ad Concilium Romanum ex diverſis provinciis convenerant Episcopi; pars utraque illuc miſerat ſuas legationes; intererant *Fauſtus*, & *Auxanius*, Gallicani episcopi, utrum accuſatores *Hermetis*, quòd ait *de Marca*, vel non, ignoratur: Episcoporum plùrimi cenſuerant in eodem Concilio, quòd vigor, & authoritas judicii diſtringi deberet in *Hermetem*, tanquam inſaſorem *Narbonenſis* eccleſiæ; vid. ſupra paſſum epiſtolæ *Hilari* Papæ; hic autem pepercit ei episcopo transmigranti, qui alterum talem ipſe condemnaturus fuiſſet; ſicut ſcribit *Hilarius* ibid. *Si nunc ſaltem communi omnium Domini ſacerdotum utatur animo; ſi imitetur exemplum; ſi ad hæc, quæ eccleſiaſtica quietis contemplatione utcunq; ſopita ſunt, oculis cordis intendat, & pro totius eccleſiæ pace, QUÆ SUNT MULTIPLICITER ERRATA, conſideret; NIHIL EST PROPECTÒ, quòd NON ETIAM IPSE REPREHENDAT, & erubeſcat, SIBI ANNUI, QUOD IN ALTERO LAUDABILITER IMPROBARIT.*

IV. Ex ſpiritu certè amaritudinis proceſſerat, quòd *Marino* Papæ, quem *Platina* vocat *Martinum II.*, etiam poſt mortem adhuc *Baſilius*, Imp. Orientis, iratus propter condemnatum ab eo *Photium* pseudo-Patriarcham *Constantinopoleos*, objecerat, quòd, qui alterius eccleſiæ ſponſus antè fuiſſet, non potuiſſet poſtea *Romanam* habere ſponſam.*

* Data eſt *Baſilii* epiſtola ad *Hadrianum III.*, ſucceſſorem *Marini*, perlata modò Romam ſub *Stephano VI.*, qui multà eidem authoritate reſpondit, ſicut per extenſum videre eſt apud *Baron.* Tom. X. Annal. ad an. 885. num. 11. Inſtigatòr procul dubio erat *Photius*, quem *Stephanus* vocat *ſeductorem*, qui induxerit ad has contumelias *Baſilium*: dici econtra *Marinum ſanctiſſimum, divinum, immaculatum* matris omnium eccleſiarum ſponſum, & ſacerdotem, qualis qui fuerit, licet ipſe ſilentio præteriret, la-



pides istos esse clamaturos : delibemus quosdam passus : *Obstupescimus sane, dum tuam perfectam, & illustratam prudentiam seductam videmus, ut talia contra sanctum illum virum cogitaverit. . . Dic, quaso te, quis te seduxit, ut Pontificem œcumenicum comico more scommatibus lacefferes? . . . mirari satis non possum, quomodo ita turpiter lapsus sis. Scripsisti, illum non esse Episcopum: quomodo id nôsti? Si verò id ignoras, quomodo ita praceps in eum sententiam tulisti? Quicumque dicunt, Marinum fuisse antea Episcopum, ac proinde non potuisse ad aliam Sedem transferri, ostendant illi id aperitè: scito, dilecte, & omni honore digne Imperator, quòd, licet illi impedimento fuisset, quod obiicitur de Canone, cùm tamen id nunquam fuerit, multitudo tamen SS. Patrum, & illorum autoritas, & iudicium, potuit illum constituere in primo gradu, & divina Providentiâ, præsens Ecclesiæ Dei utilitatem, in Sede Principis Apostolorum Petri illum collocavit. Quid verò magnus ille Gregorius, cognomento Theologus, nōne Nazianzo translatus est, & Meletius Sebaste Antiochiam, & Dositheus Seleuciâ Tarsum Cilicia, & Reverentius Archiphœnice Tyrum, Joannes Gerdoliâ Proconnesum, Theodorus Apameâ Selymbriam, Alexander Cappadociâ Hierapolim? & multi alii diversis in locis translati sunt è suis Sedibus ad alienas: argumentum ergò Stephani hoc erat: Marinus non erat prius Episcopus, & si fuisset, rectè translatus est. Baronius verò Marinum prius extitisse Episcopum, ignotæ Sedis, arguit ex epist. 294. Joannis Papæ VIII. ad Athanasium Neapolitanum: præsentibus his Missis nostris, Marino scilicet reverendissimo Episcopo, & Sanctæ Sedis nostræ arcavio, & Sicone, egregio viro: esse potest, quòd fuerit quidam Episcopus regionarius, sine Sede, & sponsâ.*

V. Quanta verò injuria dignitati, memoriæ, corpori, ordinationibus sacris, & actis FORMOSI Papæ sub finem Sæc. IX. facta fuerit à Stephano VII., ejus æmulo, ac perverfæ mentis successore, *sub obtentu illicitæ translationis*, indignabunda atrocitati agnoscit omnis posteritas. *

* Non equidem negavit Stephanus, posse translationes fieri; nam & ipse prius Anagninus fuerat Episcopus, teste Platina, sed contendit, Formosum ambitiosè translatum fuisse, ut patet ex Stephani ad cadaver illius exhumatum, & in banco juris constitutum, interrogatione: *Tu, cùm Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem sedem usurpasti?* Luitprandus lib. 1. cap. 8. Quod scribit etiam Platina, *largitione potius, quàm virtute*; Sed plus credo Synodis duabus, apud Ravennam, & Romæ an. 904. congregatis, numero Episcoporum plurimo, asserentium, *Formosum necessitatis causâ pro merito vitæ translatum fuisse.*

Vide retrò §. I. num. 5. in fin. Et *Thomasin.* V. & N. *Discipl.* part. 2. lib. 2. cap. 63. num. 14. Aliud criminationis caput scribit *Platina* in *Stephano VII.* quia hic dicebat, *Formosum* contra jura sacramenti Romam, & Sacerdotium repetiisse, quo à *Joanne VIII.* jure spoliatus fuerat; suspectus enim huic cum esset participatæ conjurationis *Formosus*, deseruit *Portuensem* Episcopatum, & fugit in Galliam; revocatus à *Joanne* redire noluit, idèò notabatur anathemate; postea Rómam veniens, ad laicam communionem redactus, juravit, ut supra. At verò *Marinus*, Joannis successor, *Formosum* juramento absolvit, atque Episcopatu suo restituit.

VI. Rigoristis, omnem translationem Episcoporum prohibitam esse contendentibus, non suffragatur canon 21. Concilii *Antiocheni* de an. 341. relat. à *Gratiano* in *can.* 25.

VII. q. 1.; solummodò quippe solitos transitus speciosos pretextus excludit. *

* Volens, non debere Episcopum transire, nedum, si se ingesserit, sed nec, si à populis fuerit violenter attractus; neque etiam, si ei hoc ab Episcopis SUADEATUR: Silet autem de casu, quo integrum, perfectumque Concilium, præside Metropolitano, Episcopum ex causis canonicis transferret, uti de vacantibus Episcopis ad sedes vacantes promovendis statuit ejusdem *Antiocheni Concilii* canon 16tus.

VII. Nec favet difficilis cæteroqui canon *Africanus*, hujus Codicis 48., relatus à *Gratiano* in *can.* 107. dist. 4. de *Consecr.* Non licet fieri rebaptizationes, & reordinationes, vel TRANSLATIONES Episcoporum; per quem videtur translatio æquè prohiberi, ac reordinatio, & baptismi iteratio. *

* De qualibus enim translationibus hoc intellexerint Patres Concilii *Carthagenensis III.*, ostendit mox subjunctus in fonte casus his verbis: nam *Cresconius viliæ Rbergensis Episcopus*, plebe suâ devertitâ, *Tubuniensem* INVASIT ecclesiam, & usque hodie communitus, secundum quod statutum fuerat, relinqueve eandem, quam INVASERAT, plebem contemnit. Translationis verbum igitur hic accipe pro invasione, sive sui ipsius transmutatione quoad locum. *Additio.* Hic canon, prohibens rebaptizationes, reordinatio-



nes, vel translationes Episcoporum, non fuit conditus in quodam Africano Concilio, sed in Capuanâ Synodo, quam Patres Carthaginenses vocant plenariam: de hâc vide *Harduinum* in indice Tomi I. Concilior. sub an. 389., *Van Espen* commentar. in Canones posthumo pag. 333., nec non *Gonzalez* ad cap. 1. h. t. num. 17., ubi ex ritu *Donatistarum*, qui Episcopos ad se abeuntes, tanquam novos Christianos, & homines, denuò baptizabant, & ad novos episcopatus ordinabant, deduxit causam, cur Synodus Capuana ista tria in uno canone conjunxerit. Aberravit igitur *Hincmarus* à vero, nimium calens adversus translationem *Astardi*, dum ex canone isto Africano aiebat, colligendum esse, quàm grande scelus sit hujusmodi translatio, quæ rebaptizationi, & reordinationi comparando conjungitur: nam simplex, absque reiteratione ordinis, facta illicitè translatio tantum crimen non est, quantum rebaptizatio & reordinatio.

VIII. Nec etiam ratio CONJUGII *spiritualis*, quasi aliquod *divinitus* inter Episcopum, & suam Ecclesiam *conciliaretur*; licet enim hæc Patrum comparatio sit antiquissima; * ex eâ tamen non concluderunt ad aliud, quàm, *non esse QUÆRENDAM ab Episcopo solutionem* à suâ, nec appetendam alienam Ecclesiam, quin statuerint speciem matrimonii ex jure *divino*. **


* Conjugium istud spirituale non excogitavit primùm *Innocentius III.* Imò verò amplissimam ex antiquis habuit copiam, suum de matrimonio spirituali systema expoliendi: præverat jam an. 340. *Alexandrina* Synodus, de quâ *S. Athanas.* Tom. 1. nov. edit. pag. 379., & ex eo *Harduin.* Tom. 1. Concil. pag. 575. Hæc in *Eusebium* Arianum sic invehitur: *Quamquam Eusebius ordinationem Athanasii reprehendit, homo, qui ipse fortè nunquam ordinatus est, aut, si unquam fuit, ordinationem suam irritam fecit: nam initio quidem Beryti Episcopus fuit: reliquæque Beryto, Nicomediam venit, illam quidem contra legem deserens, istam verò contra legem invadens; & cum suam sine ullâ charitate reliquerit, alienam sine causâ occupat; prioris episcopatus caritatem alieni cupiditate contempsit; nec tamen illum alteram, quem tantâ aviditate occuparat, retinuit: ecce enim, illinc quoque discedens, alienum rursus arripuit, semper alienas civitates concupiscens, ratus, in opibus, & magnitudine urbium religionem esse sitam; & SORTEM DEI, secundum quam quisque ordinatus est, pro nihilo ducit, ignorans illud: ubi duo, aut tres in nomine Domini congregati fuerint, illic esse Dominum in medio eorum, nec secum recogitans, dictum illud Apostoli: non in alienis labori.*

laboribus gloriabor: neque pra oculis habens illius praeceptum: alligatus es uxori, noli quarere solutionem. Quodsi hoc de uxore dictum est, quantum magis de Ecclesiâ, atque aded de Episcopatu? cui cum quis alligatus est, alium quarevere non debet, ne adulter ex sacris literis deprehendatur. Eodem modo S. Cyprianus relat. in can. 6. VII. q. 1. Novatianum vocat adulterum, eò quòd Episcopatum Romanum Coyneii invalisset. S. Gregor. Nazianzen. in Orat. 17. in gratiam cum veritate redeant, qui nos ALIENAM UXOREM expetivisse ajunt, cum ne PROPRIAM quidem (Safimorum) habere voluerimus. Confer supra Siricii Papæ, vel Innocentii, canonem ad Gallos §. I. num. 6. in fin. Concilium Constantinopol. an. 536. sub Menâ in epist. ad Agapetum contra Anthymum: Ante enim multum tempus praeogitavit adulterium, & raptum hujus imperialis Ecclesia . . . cum propriam neglexit ecclesiam, & viduam, ac sine viro eousque ipsam derelinquendo. Ut cetera loca omittam, ex quibus pseudo-Isidorus in can. II. §. 39. VII. q. 1. sub nominibus Evaristi, & Callisti I. Papp. commentis facilè, & alique novitate accipere potuit parabolam suam de Ecclesiâ Episcopi sponsâ, & uxore.

** Nullibi ex conjugio spirituali intulit antiquitas praeceptum, ne unquam Ecclesia transferret Episcopum, multò minùs, quòd matrimonium Episcopum cum suâ ecclesiâ non esset humanitùs solubile: non ea est vis allegoricarum ad jus aliud divinum allusionum, ut ex iis mox inducatur jus divinum, circa rem, cui sic applicatur, identicum: Arg. cap. 27. de elect. cap. 13. qui fil., in quibus & aliis Innoc. III. jus divinum de unâ re anavit applicare ad aliam. Unde quoque falsus est S. Hieronymus in epist. 50. ad Oceanum, de minus uxoris viro, non multam vim inesse explicationi eorum, qui Apostoli verba: Episcopus sit unius uxoris vir, descedunt ad ecclesiam, velut episcopi uxorem: Accipe & aliam explanationem, ne tibi soli liceat, non voluntatem legi, sed legem jungere voluntati: Quidam coactè interpretantur, uxores pro ecclesiis, viros pro episcopis, debere accipi, & hoc in Nicanâ quoque Synodo à Patribus esse decretum, ne de aliâ ad aliam ecclesiam Episcopus transferatur, ne, virginali paupercula societate contemptâ, ditioris adultera quavat amplexus Violenta est, inquit, & satis dura etiam hac interpretatio: redde igitur Scripturis simplicitatem suam, ne tuis contra te legibus dimicemus.

IX. Sicut quoque passim docuit veneranda Antiquitas, hos Episcopos his Ecclesiis à Deo dari ac præfici; * quin tamen dixerit, dari illos à DEO tanquam viros uxoribus. **

* Vide in part. prior. §. I. num. 5. epistolam I. Julii Papæ in verbis: ut eam, qua sibi à DEO TRADITA est, despiceret: §. cod. num. 11. epistolam Constantini



M. ad Eusebium: *in eo potius episcopatu permanere desiderans, quem DEI MANDATO ab initio suscepisset*: in hâc poster. part. retrò §. hoc num. 8. Dictum *Alexandrinæ Synodi: Sortem DEI, secundum quam quisque ordinatus est, pro nibilo ducit.* S. Cyprian. relat. in can. 5. VII. q. 1., ubi ait, *Cornelium Papam factum esse Episcopum de Dei, & Christi ejus judicio, & occupasse cathedram Sacerdotalem de Dei voluntate: Concilium Antiochenum an. 341. can. 21. Maneat autem in ecclesia, quam primitus à DEO sortitus est: quæ sanè fundantur in illâ S. Pauli Apostoli Act. 20. v. 28. ad majores natu Ephesi exhortatione: Attendite vobis, & universo gregi, in quo VOS SPIRITUS SANCTUS POSUIT EPISCOPOS, regere Ecclesiam Dei.* Et ad Hebr. 5. v. 25. *Nemo sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo.* Principium hujus doctrina est, quia Episcopus ordinatur ad regendam hanc suam ecclesiam per impositionem manûs, quæ est verum Sacramentum: veri autem Sacramenti effectus non est ab homine, sed à DEO, & CHRISTO, omnium Sacramentorum principali Ministro, juxta illud Joan. 1. v. 33. *Hic est, qui baptizat.*

** De solo CHRISTO legimus in Scripturis, quòd Ecclesia sit ejus sponsa: *Apo-calypt. c. 19. v. 7. item c. 21. v. 2. & 9. Ad Ephes. 5. à vers. 25. usque 32. Matrimonium carnale significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, non Episcoporum: Cap. 5. de bigam. Hinc Bonifacius I. Papa in epist. ad Honor. A. an. 419. vocat Ecclesiam intactam virginem, quam Christus uni desponsatam sibi servat. can. 1. dist. 97. Ecclesia, cui desponsavit se Christus, comprehendit, non solos clericos inferiores cum laicis, sed totum quoque chorum Episcoporum, incluso etiam supremo: Unitas Ecclesie, ex omnibus gentibus collecta, & uni viro Christo subiecta, ut ait Glossa in cit. cap. 5., sive tota collectivè Ecclesia, est mater singulorum, nemine excepto, & uxor sponsi cœlestis, cujus, & nuptiarum, filii vocantur ipsi quoque primi Discipuli Matth. 9. v. 15. Marc. 2. v. 19. Luc. 5. v. 34. & 35. Ignorat igitur jus Evangelii illud matrimonium, quod jus humanum allegoricè afferuit inter Episcopum, & suam Ecclesiam; Et hue quoque pertinet recentior illa titulatura Bonifacii VIII. in cap. 4. de immunit. eccles. in 6. *Ecclesie sponsæ nostræ.**

X. Multò minùs Antiquitas docuit, opus esse, ut Deus ipsemet per suum his in terris supremum Vicarium dissolveret hoc metaphoricum Episcopi cum suâ Ecclesiâ conjugium. *

* Primus omnium Innocentius III. Sæc. XIII., ad suum systema consequenter sustinendum, dixit, quòd omnipotens Deus spirituale conjugium, quod est inter Episcopum, & Ecclesiam, SUO TANTUM JUDICIO reser-

vaverit dissolvendum . . . non enim HUMANA, sed potius DIVINA potestate conjugium spirituale dissolvi, per translationem, depositionem, vel cessionem, ut habetur in cap. 2. h. t., & in cap. 3. eod. quod non HOMO, sed DEUS, separet, quos Romanus Pontifex [qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris] ecclesiarum necessitate, vel utilitate pensatâ, non HUMANA, sed DIVINA potius auctoritate dissolvit. Non hinc dogma pro cathedrâ proponere intendit Innoc. III., sed Reservatum Papale nutans ratiocinio, prout ipse ingens plerumque ratiocinator erat, suffulcire: mallet autem, ut revelationem ex verbo Dei scripto, vel tradito pro se attulisset, quam tale, quod extat in cap. 2. h. t., ratiocinium; certè enim non persuasit, sed perplexos fecit interpretes, ut, quam sese in partem verterint, suis solutionibus satisfacere nequeant; id quod & disputando sæpè comperi, & video ex commentariis, aded, ut hoc cap. 2. queat dici *crux*, & *equuleus Canonistarum*.

XI. Et verò, cur Abbas non jungitur spirituali conjugio suis monachis? Cur non Plebanus, & quilibet Pastor animarum suæ plebi? Cur solus præcisè Episcopus? * Aut cur Nicænum Concilium can. 15. non fecit distinctionem inter Episcopum, Presbyterum, & Diaconum, indistinctim transire prohibitos, si in Episcopo ratio prohibitionis fuisset mysticum hoc conjugium episcopale?

* Episcopo, inquit, datur in sui consecratione annulus, desponsationis spiritualis pronubus! Nónne & datur Abbati, & quidem ipsissimâ formâ, quâ Episcopo? Accipe annulum, fidei scilicet signaculum, quatenus SPONSAM DEI (Dei, inquam, non tuam) sanctam videlicet Ecclesiam, intemeratâ fide ornatus, illibatè custodias. Nónne quoque in cap. 4. de concess. præb. Papa Celestinus III. investivit simplicem Canonicum Cameracensem per annulum? Sûntne hi ritus juris divini, an humani potius? Sanè, annuli carentiâ non obstante, Presbyteri parochiarum dicuntur Reginoni nostro in cap. 250. illas habere in uxores, ita, ut hæ legi eorum, quâmdiu vivunt, sint alligata. Equè levis est ratio, quod per obitum Episcopi ecclesia dicatur esse viduata: nónne enim Curia Romana Abbatum quoque electiones adstringit ad formam cap. Quia propter de elect. ideò, quia in cap. 41. eod. ecclesia abbatialis etiâ per mortem dicitur viduata?


XII. Sed expendamus quoque *vim ratiocinii*, ab *Innoc. III. in cap. 2. h. t.* adhibiti: pro lapide illius angulari ponit: *inter CORPORALIA, & Spiritualia eam cognovimus differentiam, quòd corporalia FACILIUS DESTRUANTUR, quàm construuntur: SPIRITUALIA verò FACILIUS CONSTRUANTUR, quàm destruantur. Sùntne hæc themata univèrsalia? **

* Multa crisis super hâc diverfitate fieri potest, quò minùs *univèrsaliter* vera sint hæc themata: Quid vult hic intelligi per *corporalia*? An *res corporales*, quæ tangi possunt, veluti fundus &c. ut in *princ. Inst. de reb. corpor.* Et, de quâ istarum rerum *destructionis* procedit thema? an de eâ, quæ *jure* fit, an de eâ, quæ *viâ facti* fit? Utiq; *viâ facti* plerumque citiùs destruitur corpus, e. g. domus, liber, arbor, quàm fiat; sed *viâ juris* facilius est impedire, ne fiat corpus, difficilius semel facti destructionem obtinere, ut constat in novi operis nunciatione, in actione de tigno, & aliis. Sic & *viâ facti* facilè depositi, atque translati sæpè fuerunt Episcopi, præsertim Orientales: quid autem *viâ facti* illicita huc facit? loquamur de *juribus* circa res corporales, sive *materiales*, & inquiremus, an thema hoc sit *univèrsaliter* verum, quòd hujusmodi jura faciliùs *jure* destruantur, quàm construuntur? Sunt utique *nonnulla*, quæ plus requirunt ad sui constitutionem, quàm destructionem, ut *peculium*, quod & *animo*, & *traditione* constituitur, *solo animo* auferitur *l. 8. ff. de pecul.*, ut *possessio*, quæ & *corpore*, & *animo* acquiri debet, *solo animo* amitti potest *l. 3. §. 1. & 6. de A. vel. A. P.* Societas duarum voluntate initur, unius solius tempestivo recessu dissolvitur. *l. 4. §. 1. ff. pro soc.* Ast verò sunt alia in contrarium, quæ difficiliùs auferuntur, quàm dentur: sic patrocinium clienti addicere Advocato est facile, difficile non dum peractâ causâ renunciare: *conductio*, *emphyteusis*, *feudum*, facilè constituuntur, difficiliùs auferuntur: faciliùs constituitur dos, quàm alienetur, & pereat: pupillus, minor, ecclesia faciliùs acquirunt, difficiliùs perdunt: pignoris distractio plus requirit, quàm constitutio, plus revocatio donationis, quàm donatio; libertatem servo dare facile est, revocare difficillimum, *can. ult. XV. q. 7.*; semel hæres, semper hæres, facilius ergò nomen heredis acquiritur, quàm expungatur à personâ; publica honestas, consanguinitas, affinitas, facilè contrahuntur, contractæ manent firmæ, & similia plura: Quis nunc periculosam hanc in jure definitionem statuat: *jura corporalia faciliùs destruantur, quàm construuntur.* Et ex alterâ parte, quis *univèrsaliter* ponet, *jura spiritualia faciliùs construi, difficiliùs destrui?* Equidem ea, quæ in *charactere interno indelebili* consistunt, facilè accipiuntur, nunquam, ne

à volentibus quidem, destruuntur, ut esse baptizatum, confirmatum, ordinatum; alia tamen spiritualia à volentibus facilius amittuntur, quam acquirantur, ut fides, spes, charitas, gratia sanctificans, commoda communionis Sanctorum: beneficium ecclesiasticum multis fortè expensis, & laboribus acquiritur *cap. 5. de renunc.*, unico maledicto verbo: *resigno* amittitur; ut quis fiat Papa, requiruntur duæ tertiæ votorum; ut definat esse, sufficit unius Papæ renunciatio *cap. 1. de renunc. in 6.* Duo exempla, quæ affert *Innoc. III. in cap. 2. h. t.* non faciunt thema generale, neque illa in destruendo difficultas provenit ex *naturâ rei*, aut ex *divinâ institutione*, sed, uti ipsemet textus dicit, *juxta canonicas institutiones*; quod enim 1.) solus Episcopus presbyteratûs honorem dare possit, non auferre solus per *degradationis* terribilem ceremoniam, hoc purè humani juris est, per Tridentinum *sess. 13. cap. 4. de reform.* quoad interventum plurium Episcoporum remissi: & cur abstrahendo à canonicis, non posset unicus Episcopus cum suo Clero realiter *degradare*, cum unicus possit eum synodali judicio *verbaliter ab ordine deponere?* *can. ult. XV. q. 7.* Quod 2.) Episcopi à Metropolitanis suis munus consecrationis accipiant, non tamen, nisi per Romanum Pontificem condemnari queant, hoc rursus humanum est reservatum; nam olim Metropolitanus cum suis comprovincialibus & ordinavit, & deposuit Episcopum.

XIII. Pergit *cap. 2. h. t.* *Cùm ergò fortius sit spirituale vinculum, quàm carnale, dubitari non debet, quin omnipotens Deus spirituale conjugium, quod est inter Episcopum, & Ecclesiam, suo tantùm judicio reservaverit dissolvendum, qui dissolutionem etiam carnalis conjugii, quod est inter virum, & feminam, suo tantùm judicio reservavit, præcipiens, ut, quos Deus conjunxit, homo non separet.* Ast in hoc ipso inextricabilis nodus est; *


* Nam 1.) Vinculum matrimonii inter virum, & uxorem non est *purè carnale*, sed *plurimum potius spirituale*; quia divinum Sacramentum, & magnum est in Christo, & Ecclesiâ. *Ad Ephes. 5. v. 32.* Indissolubilitatem matrimonii non parit id, quod in ipso *carnale* reperitur, penitensque naturale; nam omnis res per quasennque causas nascitur, per easdem dissolvitur, *can. 4. XXVII. q. 2.*; sed sic post *S. Augustin. in can. 10. ead. caus. & quæst.* nuncupatum *bonum Sacramenti*, quare-



nus nempe illud conjugium designat, quod inter Christum, & Ecclesiam per Incarnationis mysterium est contractum. Cap. 5. de bigam. 2.) Quo pacto conjunctio viri cum femina refertur inter ea, quae facilius destruantur, quam construuntur? cum vel ipse leges humanae agnoverint, solutionem matrimonii difficiliorem debere esse, quam ejus compactionem. l. 8. C. de repud.; propter quod Immola in relect. huj. cap. statetur, matrimonium exorbitare à regulâ corporalium facilius destruibilem, quam construibilem: si verò exorbitet à regulâ, cur submittitur praemissae regulae, ad exorbitans non quadranti? Et quorsum exorbitat? Nonne ad spiritualia, difficilius destruibilia? Simile ergò cum sit istis, quid eisdem hic contraponitur? Et quid dico simile, quod est identicè spirituale? nam in vinculo spiritus est mysterii supra naturam, licet in operatione sit caro carnalibus conjugibus. 3.) Cur vinculum conjugii spiritualis esset fortius vinculo conjugii carnalis, cum de posteriore extet praeceptum Dei absolutum, de priore nullum? carnale Dei Vicarius nequidem ob urgentissimas causas, e.g. si Imperator aliàs improlis moreretur, in ullo casu dispensativè dissolvere posset; spirituale verò dissolvit saepissimè: nonne difficilius est absolutio, quam Episcopus suo Vicario generali non committit, prae illâ, quam committit? Si Papa nequit solvere minus forte vinculum carnis, quomodo solveret vinculum episcopatus, si esset magis forte? Quapropter Petrus de Marca lib. 7. de Concord. Sacerdot. & Imp. cap. 26. n. 8. ait: Argumentum illud Innoc. nimis probat; nam hinc potius sequeretur, nullo casu Papam posse dissolvere conjugium spirituale, cum ipse, quamvis Christi Vicarius, nullo casu possit dissolvere vinculum conjugii carnalis. Sed ajunt, Papam solvere autoritate divinâ, non humanâ: unde constat, quòd in solvendo hoc canonico vinculo Papa utatur altiore potestate, quam, cum alia difficilis concessionis dat ex plenitudine potestatis? Omnis potestas sacra est hoc sensu divina, quia à Deo est; propterea tamen non omnis lex, nec omne decretum, vel factum dispensans Papae est lex divina, decretum, vel factum ipsius Dei: an erit de fide, illum Episcopum à Deo translatum esse, quem transtulit Papa? Quid autem, si Papa transferret aliquem sine causâ canonicâ? An non esset ille translatus valdè? Atqui circa jus divinum nihil validè fit à Papâ, quod perperam fit! Non est solutus à voto quoad Deum, quem Papa sine justâ causâ absolvit voto: sequeretur, non esse coram Deo solutum à suâ Ecclesiâ Episcopum, quem Papa purè ob respectum humanum solvisset; quae hinc nasceretur incertitudo in translationibus? Qui crederetur esse Episcopus novae Ecclesiae coram hominibus, ille coram Deo foret adhuc Episcopus prioris ecclesiae, & sic Deo utraque ecclesia esset adultera, dum hæc viro alienae nuberet, illa alieni uxor viro novo! Nonne ad hæc evitanda præstat contra ratiocinium cap. 2. dicere, conjugium Episcopi cum suâ ecclesiâ esse solùm ex institutione canonica conjugium, proinde verè solvi, licet cum peccato solveretur? Id quod dici non posset, si jure divino esset conjugium, idque fortius carnali conjugio.

XIV. Ad quem solvendum varii varia excogitârunt, id unum ferè lucrantes, quod alter alteri materiam refurandi præbuerit, vel alterius solutionem omittendi.*

* *Glosa*, non sciens frangere nucleum hujus textûs, dicit: conjugium Episcopi est *fortius*, i. e. *dignius*, quoniam *carnale in veritate fortius est*; quia dissolvi non potest, etiam si interveniat consensus Papæ, & ipsorum conjugum: spirituale verò conjugium in multis dissolvitur casibus, translatione, renunciatione, & depositione, autoritate Papæ; & *idèd minus est forte, sed dignius*. Sed hoc est vim ratiocinii evertere, quæ non in *dignitate*, sed *fortitudine vinculi majore* ab Innoc. posita est: idèd *Hosliensis* ait, quòd *Glosa* videatur hic literam violare; ipsemet verò in summâ h. t. vinculum, quod est inter Episcopum, & Ecclesiam *specialem*, non judicat fortius, imò debilius, quàm carnale; sed solum vinculum matrimonii spiritualis, contracti inter Episcopum, & Ecclesiam *generalem*, propter unitatem Episcopatus toto orbe diffusi; hoc enim postremum vinculum ait inniti *ordinationi divinæ*; quos Deus conjunxit &c., & idèd rumpi non posse, vinculum verò, quo Episcopus ligatur Ecclesie Cathedrali, firmari *constitutione canonicâ*, idèdque per Papam dissolvi posse. Verùm ratiocinium Innocentii non loquitur de translatione ab Ecclesia *universali*, sed de *particulari ad particularem*, quàm prætendit fieri multò magis debere à Deo, quàm dissolutionem matrimonii carnalis, ut observat Cardinalis *Zabarella*, & aliàs constat, ita exauctorari posse penitus Episcopum, ut non reputetur amplius pro Episcopo Ecclesie universalis. *Panormitanus* fatetur, *certo respectu* esse fortius in dissolvendo carnale, quàm spirituale matrimonium; quia illud solvitur autoritate Dei, istud autoritate Papæ; *certo tamen alio respectu* dissolvi difficiliùs spirituale, quàm carnale; quia durat post mortem propter characteris impressionem; sed, si duret post mortem, quomodo Ecclesia dicitur *vidua*, & nubere alteri? an fortè resuscitatus à mortuis Episcopus magis tenetur redire ad suam ecclesiam, quàm maritus resurgens ad suam uxorem? Character non copulat Episcopum eum hâc Ecclesiâ, neque eum universali, velut maritum, sed constituit eum unicè in ordine Episcopatus. Fortius alio respectu, ait porrò *Panormitanus*, esse spirituale matrimonium carnali; quia carnale dissolvitur per spirituale, videlicet per professionem religiosam, quam pariter vocat spirituale matrimonium; non autem e contra: nam illud carnale matrimonium, de quo Deus dixit: *quod Deus conjunxit, homo non separet*, est Innoc. III. in cap. 5. de bigam. solum matrimonium *consummatum*, cujus vinculum per professionem religiosam nequaquam solvitur: unde semper manet difficultas, cur Innoc. III. voluerit, dissolutioni matrimonii spiritualis plus obstare illud, *quod Deus conjunxit* &c., quàm dissolutioni matrimonii *consummati*? Itaque, omiffis istis solutionibus, *Gonzalez* ait, *comparationem*, quæ fit in hoc textu,



non probare, quòd *spiritualis matrimonii vinculum æquè sit indissolubile, ac matrimonii carnalis consummati*; sed tantùm eò dirigi, ut probet, *neutrius dissolutionem posse fieri ab homine*: verum nõnne verba textûs: *cùm ergò fortius sit spirituale vinculum, quàm carnale, alserunt, magis illud resistere dissolutioni, quàm hoc?* Cujus autem dissolutioni magis resisteret? si *Dei*, ergò Deus in uno plus difficultatis inveniret, quàm in altero: si *hominis*: ergò homo minùs poterit dissolvere Episcopum à suâ Ecclesiâ, quàm maritum à suâ uxore: ergò magis erit ex se indissolubile conjugium Episcopale *quoad homines*: ergò, si Pontifex transferendo procedat *ut homo*, sine causâ *divinitus approbatâ*, ex meris respectibus politicis, sine judicio Dei, Episcopus non erit reâpse translatus! Quid hinc sequeretur in Ecclesiâ? Clariss. Bœckhu ait, semper manere verum, quòd fortius sit spirituale vinculum, quàm carnale, si utrumque *secundùm se* spectetur, hoc sensu, quòd *majori ratione* nixa sit indissolubilitas matrimonii spiritualis; quia spiritualia præstant carnalibus: quòd autem Pontifex in matrimonio carnali consummato dispensare nequeat, non habere id matrimonium *ex se*, sed *ex speciali superadditâ significatione conjunctionis Christi cum Ecclesiâ, ac unionis hypostaticæ*; qualis significatio non sit imposita consecrationi episcopali. Ast! Pontifex non potuit considerâsse matrimonium *secundùm se*, quale foret illud *in statu puræ naturæ*, sine significatione mysticâ, ex quâ unicè fluit indissolubilitas ejus; nam sic ruiisset ejus argumentum: *matrimonium carnale à solo Deo dissolvi potest: ergò etiam matrimonium spirituale*; cùm antecedens de matrimonio *secundùm se* non fuisset verum. Ex his apparet, laborare, & torqueri in vanum Canonistarum ingenia in salvando *Innocentii III.* ratiocinio, quod salvare nemo tenetur.

XV. Licet autem *similitudinaria* hæc Episcopi cum suâ ecclesiâ desponsatio, ut ut vetusta, sit pura *juris humani* creatura; ex hac tamen ipsâ comparatione æstimari potest, quantum difficultatis crediderint subesse Ss. Patres in translatione Episcopi. *

* In Concilio *Tracensi*, sive *Tricassino* II., an. 878. præsentè *Joanne VIII.* Papâ celebrato, *Rostangus* Arelatensis eodem oblato libello petiit remedium contra *desertores uxorum*, secundam superinducentes, & contra Episcopos, vel Presbyteros transmigrantes: *inventum est DE SALTU MIGRANDI de ecclesiâ ad ecclesiam episcopis, vel presbyteris, & DE CONJUGIO RELICTO, adhuc uxore vivente, & aliâ superductâ*: *Joannes VIII.* conformiter huic libello complexus est eodem statuto hõsce adulteros, & transmi-

transmigrantes: Inter nonnulla necessitatum à S. Synodo reclamatum est, quod à laicorum quidam, fortitè primò legaliter conjugii, postposito Dei timore, secundi, vel tertii, adhuc uxore vivente, conjugii copulam contrabant. . . Ad augmentum quoque earum transgressionum, quod sebiliter dicimus, additum est, quod Episcoporum quidam intra septem provincias Galliarum, calcato termino Patrum, spretilque sancitu canonicæ auctoritatis, de minori ad majorem ambitus causâ demigrant episcopalem cathedram, quibus canones, spiritibus S. gratiâ conditi, concorditer contradicunt. Nos quoque . . . prohibemus, ne quisquam catholicorum taliter audeat à modò, & deinceps agere, &, si, ut non optamus, hætenus quidquam taliter actum est, dignâ pœnitudine ecclesiasticâ corrigatur. Denique hæc auctoritate apostolicâ virtute Dei intercedimus, UT EPISCOPI AD PRISTINAM SEDEM SINE MORA REDEANT; quia, si tardaverint, continuo omni Sacerdotali honore spoliabuntur: & LAICI REDEANT AD PRIMUM CONJUGIUM, sin autem, vinculo anathematis innodentur. Harduin. Tom. VI. Concil. pag. 193. & 196.

XVI. Inter Romanos Pontifices S. Gregorius M. usque adeò evitavit translationes, ut potiùs in casibus necessitatis excogitaverit loco earum sic in specie dictas incardinationes, cum debito redeundi ad propriam ecclesiam, cessante causâ.*

* Vid. part. prior. §. I. num. 9. Adde Joannem Diaconum lib. 3. cap. 18. Licet Gregorius vacantes Episcopos vacantibus civitatibus INCARDINARE studuerit; nunquam tamen Episcopum ab integritate suæ ecclesiæ, vel ipsè in aliam COMMUTAVIT, vel sub quâcunque occasione MIGRARE consensit. Imò verò nequidem enixè postulantibus eisdè incardinavit aliquem Episcopum, sed interdum solummodò eis dedit visitatorem, ut est exemplum in lib. 2. epist. 6. 7. 12. de Paulo, Nepefinæ civitatis Episcopo, quem sibi incardinari rogaverat Civitas Neapolitana. Nepefinæ autem ecclesiæ visitatorem intercè constituit Joannem Episcopum, ut nullo modo sentiretur Paulus absens. lib. cit. cap. 20. Demùm Paulo ad Nepefinam reverti sæpiùs expetenti Gregor. M. necessariò, ut scribit lib. 2. regest. epist. 35., annuit: tanta erat tunc temporis scrupulositas in translationibus. Incardinationis methodum servavit sæculo X. S. Hungariæ Rex Apostolicus Stephanus I.; nam, cum Sebastianum nominasset Strigoniensem Archiepiscopum, hic verò privaretur postcè visu, nominando illuc quidem transtulit Africum Colocensem Episcopum; ast,



visu recepto, *Sebastianum* Strigoniensi, *Astricum* Colocensi, restituit
Ecclesiæ. L. B. de *Pilatus* origin. jur. pontif. pag. 61.

XVII. Nempè ex unâ parte in translationibus metuebant
plurimum Ss. Patres ambitionem, vel avaritiam.*

* Cùm, sicut ex *Sardicensi* Concilio ait cap. 1. de cleric. non resid., nullus sit
inventus Episcopus, qui ad MINOREM de MAJORI civitate transferit:
majorem Sardicense intellexit civitatem vel majoritate sedis, ut est Me-
tropolis, vel majoritate populi, opùm, mundana potentia: hanc po-
streman majoritatem noluit planè attendi *Innoc. III.* in cap. 4. b. t., in-
crepans *Conradum*, quòd sub prætextu indulti apostolici, assumendi,
si vocaretur, majorem ecclesiam, assumpserit præ *Hildesensi* ditiorem
Herbipolensem; paris enim dignitatis sunt omnes Episcopatus, etiamsi
effret *Boviensis* in Italiâ: nulla mitra parva est: imò, quantum præ-
cisè ordinem episcopalem attinet, ubicunque fuerit Episcopus, sive
Romæ, sive *Eugubii*, sive *Constantinopoli*, sive *Rbegii*, sive *Alexan-*
driæ, sive *Tanis*, ejusdem meriti, ejusdem est & Sacerdotii. S.
Hieron. relat. in cap. 24. dist. 93.

Additio 1. Hodie post *Innoc. III.* in cap. 4. b. t. reputatur major difficultas,
ut quis transferatur de cathedrali ad cathedralem, quæ reputantur ca-
nonice pares, quàm, ut transferatur quis de cathedrali ad *Metropoli-*
tanam; item, honestius visum est *Innoc. III.* in cap. 4. de postul., si
Suffraganeus ad *Metropolim* suam per translationem accederet, quàm,
si *Archiepiscopus* de *Metropoli* ad *Metropolem* transferretur; quia
Sedes *Metropolitica* sunt canonicè pares, licet forsan essent politica
consideratione impares: utique verò translatio de pari ad parem eccle-
siam suspecta est avaritiæ, si una sit ditior alterâ, vel ambitus munda-
ni, si una in temporalibus præcelleret alteri, e. g. si Episcopus unius
effret tantùm Comes Regni, alterius verò Princeps, vel Dux, aut Par
Franciæ: Ast ascensio de Episcopatu ad Archiepiscopatum cadit in suspi-
cionem duplicis criminis, ambitus, & avaritiæ: huc respexit canonis
Sardicensis motivum; sed *Innocentii III.* ævo facilior in hoc casu erat
translatio, cùm in majori dignitate propter majorem utilitatem faci-
lius soleat dispensari.

Additio 2. Canonis *Sardicensis* non erat tam ingratum minorari, quàm ma-
jorari: ast *Innoc. III.* in cap. 1. b. t. *Rudolphum II.*, *Antiochenum* Pa-
triarcham, eò reprehendit magis, quia *Metropolitam* *Apameæ* transtu-
lerat ad simplicem Episcopatum *Tripolitanum*: novo quodam mutatio-
nis genere PARVIFICASTI MAJOREM, & MAGNUM quodammodo mino-
rasti; EPISCOPARE ARCHIEPISCOPUM, imò potiùs DEARCHIEPISCOPARE

presumens: tale quid profectò fuerat aliquid novi; quia, quod ipsum dolebat *Sardicensis* canon, nemo petiit *minorem* civitatem, relicta *majori*. Ad casum hunc non pertinet, sicut rectè advertit *Hosiensis* in cap. 1. h. t., si quis Archiepiscopus *primum* sine fraude *simpliciter* cedat, aut aliter desinat esse Archiepiscopus, deinde verò simplicem episcopatum accipiat *ex intervallo*; quia non est *translatio*, neque *descensio*, sed *ascensio* potiùs: *Hosiensis* indigitat casum sub CLEMENTE IV. Papâ in Ecclesiâ Metropolitanâ *Salisburgensi*, in quâ *Philippo*, Carinthiæ Duci, quem *Alexander* IV. an. 1257. exauctoraverat, quoniam per novem annos neglexerat se facere consecrari, successit per postulationem *Udalricus* Secoviensis, retinens insimul hunc episcopatum, quia propter *Philippum*, ejusque potentes fautores, non potuit quietè habere Archiepiscopatum: vix autem denique *Salisburgi* à civibus, ejecto *Philippo*, receptus fuerat *Udalricus*, cum an. 1260. importuni creditores Romani ab eo urgebant apud Curiam solutionem ingentis summae, quam propter postulationis negotium Romæ contraxerat; Papa verò ipsemet, & curia petierunt aliam enormem summam in subsidium expeditionis Palæstinae ab *Udalrico* promissam, nempe 4000. *marcas argenti*, facientes modò 22662½. unciales *Ludovici* XV. Gallicanos; exhaustus bellis, ac invasionibus *Udalricus* solvere non potuit, nequidem post alterum terminum, agrè obtentum; hinc an. 1262. à Legato Papali *Tbomâ*, Episcopo Squillacensi, denunciabatur excommunicatus, & exauctoratus: anno 1264. *Udalricus*, defendendæ Ecclesiæ impar, resignavit: anno 1265. *Clemens* IV. resignationem ejus accepit, & Archiepiscopatum dedit *Uladislao*, Duci Lignicensi, postulato *Pataviensi*: ex intervallo autem reddidit *Secoviensem* Ecclesiam *Udalrico*, in quâ an. 1268. decessit. Vid. *Hansizii* German. Sacr. Tom. 2. à pag. 350. Ita jam priùs Sæc. IX. *Evo*, ob delicta statùs bis excidens *Remensè* Archiepiscopatu, ad preces *Ludovici* Germanici adeptus est à *Nicolao* I. Papâ *Hildesensem* Episcopatum. *Concil. Gall.* Tom. 3. pag. 356.

XVIII. *Ex alterâ* verò parte, difficultatem translationis facit *rarior existentia illarum conditionum*, propter quas solas ipsa permittitur: sunt illæ, *major utilitas*, vel *necessitas publica*, sine quâvis *subexistentiâ ambitionis*, vel *cupiditatis*. *

* Difficile est admittere *cessionem*, sive *renunciationem* Episcopi, nihil ultrò quærentis, cap. 10. *de renunci.*; quantò difficilius annuere *Episcopi translationi*? Canon, Apostolorum dictus, 13tius desiderat causam, non quæ solum *rationi consentanea* sit, sed etiam, quæ *compellat*, & insuper *plus lucri* pro Religione. *Concil. Carthag.* an. 398. apud

Gratian. can. 37. VII. q. 1. utilitatem Ecclesiæ id faciendum poscentem: Papa Evaristus pseudo-Isidori in can. 11. VII. q. 1. inevitabilem necessitatem: ejusdem figuli Calixtus I. in can. 39. ibid. utilitatis, non ambitiōs, causam: ejusdem Anterus in can. 34. ibid. communem utilitatem, atque necessitatem, sed usā propriā voluntate cujusquam, aut dominatione. Joannes VIII. in epist. 4. 5. & 12. ait, Eretarium à desolatā per Barbaros provinciā Burdigalensi transferri ad Bituricensem cogente necessitate non modicā, & barbaricā Harduin. Tom. 6. Concil. pag. 4. 5. 11. Clemens II. in epist. ad Salernitan. Archiep. an. 1047. exigentem necessitatem, vel maximam utilitatem, cum diligentissimè perquisitione personæ, utrum necessariò sit transmutanda, ut sic major utilitas oriatur, sicut major Sedes assumitur: ergò contra Innoc. III. in cap. 4. b. t. non est eo ipso major utilitas, quòd major dignitas assumatur: Eugenius III. in epist. ad Epp. German. in causā translationis Guicmanni Cyrensis ad Archiepiscopatum Magdeburgensem: Translationes Episcoporum sine MANIFESTÆ utilitatis, & necessitatis indicio divinæ legis oraculum non permittit. Innoc. III. in cap. 3. b. t. ait: ECCLESIARUM necessitate, vel utilitate pensatā: ait in numero plurali: Ecclesiarum; non enim unius folius ad quam, sed etiam ejus a qui, ut huic cum novo viro saltem æquè benè futurum sit, ne una ecclesia latetur, altera contristetur, sicut scripsit Damasus Papa, quem retuli in part. prior. §. I. num. 8. Quòd si transferendus plus boni queat in primā ecclesiā operari, quàm in secundā, non conceditur secundæ; propter quod idem Innoc. III. in cap. 3. de postul. Ravennatibus nequidem suum Romæ Presbyterum Cardinalem Soffredum concessit: Consideravimus verò, quòd ejusdem Cardinalis præsentia UTILIOR sit, non solum ROMANÆ, sed etiam Ecclesiæ GENERALI, tam apud Apostolicam Sedem, quàm apud Ecclesiam Ravennatensem; unde non immeritò, PRÆFERENTES SPECIALI UTILITATI COMMUNEM, ET MINORI MAJOREM, prædictum Cardinalem postulationi vestræ non duximus concedendum.


XIX. Inter sex illas causas, ob quas juxta cap. 10. de remunc. loco, vel ordini cedere potest Episcopus, duæ tantùm servire possunt ad translationem; nempe 1.) Debilitas corporis, si ipsa ex malignitate loci oriatur, aut cum hâc componi nequeat: * 2.) Odium malæ plebis; ** quorsum referri potest grave scandalum, si datum ab Episcopo non fuerit, sed acceptum sit, *** sive pusillorum esset, sive

Pharisaicum, cùm aliter, quàm translatione, sedari non potest.

* Sunt interdum constitutiones corporum tam delicatæ, ut, timorato medicorum judicio, in hâc regione, insulâ, climate, interire deberent, conservandæ alibi: talis Episcopus, sive ecclesiæ inutilis, alteri perquam utilis esse posset: insigne exemplum habet ex *Socrate* lib. 7. cap. 36. *Historia Tripartita* lib. 12. cap. 8. in *Sylvano* monacho, qui ab *Attico*, Patriarchâ Constantinopolis, ad *Philippopolim Thraciæ* ordinatus Episcopus, cùm tribus ibi annis degeret, ac propter subtile corpusculum frigora ferre non potuisset, rediit Constantinopolim, vitam monasticam rursus aliquandiu perfectè custodiens: post aliquantum verò temporis dedit eam, nihil mindus cogitantem, *Atticus*, Episcopum Trojæ, opportuno ejus corpori loco propter aëris clementiam. Quàm id gratum Deo fuerit, ostendit miraculum in ipso aditu civitatis à *Sylvano* patrum.

** Est hæc justa Episcopatus renunciandi causa per *cap. 10. de renunci. §. 5.* cedere posse, quem mala plebs odit. *Propter malitiam plebis cogitur interdum Prælati ab ipsius regimine declinare, quando plebs aded duræ cervicis existit, ut proficere nequeat apud ipsam, . . . cùm oves convertuntur in lupos, & qui debuerant humiliter obedire, jam irrevocabiliter contradicunt.* Sed & Episcopis hæc justa causa est aliò discedendi; cùm enim laborem suum sine fructu esse considerent, in locum alium ad laborem cum fructu migrant, ait *S. Gregor. M. relat. in can. 49. VII. q. 1.* Equidem *Isidorus* larvatus sub nomine *Evaristi* Papæ, apud *Grat. can. 11.* ibidem tales rebelles ecclesias tractari jubet, sicut adulteras, si se alteri Episcopo junxerint, aut super se alterum Episcopum adduxerint, aut esse fecerint, vel desideraverint, ideòque per acerrimam penitentiam cogi, ut *aut suo reconcilientur Episcopo, aut innuptæ permaneant*, id quod de uxore, cùm à marito malè discessit, *Apostolus præcepit*; attamen *Innoc. III. in cit. cap. 10.* credidit, *tales homines, etsi graviter pro crimine puniendi sint, esse tamen pro tempore utiliter tolerandos; quia sanguinem elicit, qui nimis emungit*: hinc dabitur eis alius Episcopus: patet exinde, magis solubile esse vinculum conjugii spiritualis, quàm carnalis; nam malæ, & irreconciliabili mulieri non dabitur alter maritus. Juvare in similibus gravium dissensionum causis facilè poterunt procuracione canonicæ translationis Reges, qui nominant Episcopos; at, ubi libera viget Capitulorum electio, omnes Ecclesiæ horrent assumere Episcopum ejusmodi, timentes, ne non ipse pro parte sit causa dissidiorum.

*** Hanc divisionem scandali suggerit *cap. 10. de renunci. §. 6.* Episcopus, qui



ob data scandala remanere in suâ ecclesiâ non potest, transferri non debet ad alienam, nisi fortè, peractâ priùs pœnitentiâ, ad aliquam remotissimam, quò malæ vitæ odor penetrare non posset: Afri eos, qui non jubebantur *deponi* episcopatu per Ss. canones, amandabant ad loca ignobiliora suæ dicecesis extra Cathedralē civitatem. S. *Augusti*. in epist. ad *Celestin.* Pap. apud *Constant* pag. 1055. affert exempla Episcoporum *Prisci* Casariensis, *Victoris*, & *Laurentii*, qui propter reatū iussu sunt *extra locum cathedræ suæ*, retento honore episcopi, in *quodam minore loco suæ dicecesis* commorari; rogans *Celestinum*, ut parem in *Antonium Fussalensem*, qui nimis savierat in hos cives, ad Afri latam sententiam confirmet, per quam nec transferretur ille, nec in cathedrali maneret: clamabat sic iudicatus Antonius: *aut in mea cathedrâ sedere debui, aut episcopus esse non debui*; refutat eum *Augustinus*: *Quasi nunc sedeat, nisi in suâ; propter hoc enim loca illa eadem dimissa, atque permessa sunt, in quibus & priùs episcopus erat*. ne IN ALIENAM cathedram contra statuta Patrum TRANSLATUS ILLI CITE diceretur: aut verò quisquam ita esse debet sive severitatis, sive lenitatis exactor, ut, qui non visi fuerint episcopatus honore privandi, nullo modo in eis vindicetur, aut in quibus aliquid visum fuerit vindicandum, episcopatus honore priventur?

XX. Graves quoque sunt causæ 1.) Siquis Episcoporum evidenter emineat in extirpandis hæresibus, quæ alibi fuerint creverunt. 2.) Si propter hostilitatem, vastatâ terrâ Episcopus hac illâque palans deberet circumerrare. * 3.) Si vastior sit capacitas Episcopi, quàm, ut in loco ignobilis vel depopulato concludatur. **

* *Joannes VIII.* ad Episcopos provinciæ Bituricensis epist. 5. *Ecce enim, ne civitate ad civitatem Episcopi transmigrant, sancti canones prohibent, sed, si hujusmodi sanctiones sine ullâ discretionē, vel dispensatione ducimus observandas, nullam compassionem fratribus exhibemus, quos gentiliū gladiis passos causâ fidei Christianæ servandæ videmus egentes, angustiātos, afflictos, hâc illâque palantes incedere.*

** *Idem Joannes VIII.* Papa *Protarium* ab Archiepiscopatu *Burdigalensi*, tunc paganorum frequentibus gladiis, prædæque continuæ irruptione ita consumpto, ut penè omne illic episcopale vacaret officium ad vacantem *Bituricensem* transtulit, ne TALIS, TANTUSQUE VIR occi-

quo prodesse aliis ecclesiis valeat, minimè vacaret. Epist. 4. ad Bituricenses.

XXI. Denique optimè faciunt Reges, qui ad Sedes Metropolitanas non mox nominant Prælatos Episcopis inferiores, sed postulant potiùs exercitatos diu in regimine Ecclesiæ Episcopos, * maximè de eadem provinciâ.

* Hujuscemodi Episcoporum, ad suas, vel alienas Metropoles translatorum, exempla, tum in Corpore Juris, tum apud Thomassinum, & veteres, reperiuntur plurima: testatur Innoc. III. in cap. 4. h. t. quòd Romæ in majori dignitate propter majorem utilitatem faciliùs solent dispensari. Submittunt se sanè Episcopi Suffraganei lubentiùs Metropolitanæ, qui diu jam didicert agere Episcopum, quàm ei, qui incipit esse tyro in Episcopatu, proinde regere Episcopos tam citò non discet, sicut alter, qui didicert regere Clerum, & populum, atque suffragiis suis in Concilio provinciali correxit suos Collegas, imò Metropolitanum ipsum.

QUÆSTIO


Ad §. II. num. VII., & seqq.

Ecquando contrahatur ab Episcopo conjugium spirituale cum suâ ecclesiâ?


¶ Decidit hoc Innoc. III. in cap. 4. h. t. his verbis: *Spirituale fœdus conjugii, quod est inter Episcopum, & Ecclesiam in electione INITIATUM, RATUM in confirmatione, & in consecratione intelligitur CONSUMMATUM.* Sunt igitur hęc 1.) *Sponsalia in spiritu, quæ fiunt per consensum electi in sui electionem: de his ait id. Innoc. in cap. 21. de elect. per mutuum consensum eligentium, & electi QUASI CONJUGALE vinculum spiritualiter est contractum, per quasi-conjugale intelligens sponsalium: hæc sponsalia sunt perquam anomala: nam sponsa obligatur sponso, quò minus possit recedere ipsa poenitendo; at sponso potest liberè juri suo renunciare in manibus solius Capituli. Parisius de resign. lib. 7. cap. 1. n. 78. per textum cap. 26. de elect. in 6., nec alligatus sponsæ tenetur petere sponsalium dissolutionem, tametsi Electus jam petiisset confirmationem: Roman. Inst. canon. part. 1. tit. 4. cap. ult. n. 278.; ex quo apparet, etiam sponsalia carnalia esse in obligando sponsum fortiora spiritualibus. 2.) Conjugium in spiritu ratum: hoc fit per confirmationem, ver-*

ho, vel scripto: hæc, juxta *Innoc.* facit vinculum conjugale *juris divini*, sic, ut post confirmationem verum sit dicere: *Deus hunc Episcopum conjunxit ex nunc cum hac Ecclesia, tanquam uxore ejus*; propter quod *confirmatus duntaxat*, licet, *nondum consecratus*, à nemine transferri potest, quàm à Papà. *Cap. 1. b. t. vers. licet enim.* At verò *confirmatio electionis*, prout est *actus separatus*, ac *tempor. intermedius* inter electionem, & consecrationem Episcopi, est *mera creatura praxeos humane*, quæ in jus scriptum transit; olim quippe hæc duo fecerunt unum Episcopum, *electio, & consecratio*, can. 8. dist. 40. *Sicut viri, & mulieris digna conjunctio unum facit matrimonium, ita . . . & electio, & consecratio unum faciunt Episcopum.* Verbalis illa, aut bullaris confirmatio non tribuit Episcopo, *post eam consecrando*, plus *divini juris, & jurisdictionis*, quàm Abbati, vel abbatiffæ, *quasi-episcopalem jurisdictionem* habentibus, nunquam consecrandis; nam *causa utrinque humana est*, consequenter duntaxat *humanum producit effectum*: concessio jurisdictionis *sine actu sacramenti* tam parùm est *opus immediatum Dei*, quàm ablatio jurisdictionis: *Paulus, & Barnabas act. 13.* facti sunt Apostoli per *impositionem manûs*, per hanc similiter *Timotheus* à Paulo creatus est Episcopus 1. *ad Timoth. 4. v. 14. 2. ad eund. 1. v. 6.* Si *Confirmatus* assimiletur duntaxat existenti in matrimonio *rato*; ergò *nondum taliter conjuncto*, ut in eundem caderet illud: *quod Deus conjunxit, homo non separet*: Arg. *cap. 5. de bigam., & cap. 7. de convers. conjug.* Nempè *matrimonium carnale ratum duntaxat non est ex divino præcepto indissolubile*, nec solvitur *authoritate divinâ* per summum Pontificem, sed *humanâ*: Deberet ergò *electus ad Episcopatum post confirmationem comparari marito*, qui existit in *matrimonio consummato*, ut teneret vis argumenti, quod formavit *Innocentius*; sed ubi est *jus divinum*, hoc asserens? imò, ubi ante hanc decretalem *Innocentii est jus humanum*? fatetur ille ipsemet ibidem, *usque ad tempora illa, quod cautum fuerat de EPISCOPIS, expressum non fuisse de ELECTIS*: ergò de his fecit *Innoc. III. jus novum*; licet novitatis odium declinare contenderit per *identitatem rationis* inter conjugium Episcopi *ratum, & consummatum*, subjungendo: *propter expressam tamen similitudinem, vel identitatem potius, nemini poterat videri dubium, subtiliter intuenti, cum de similibus idem judicium sit habendum.* Sed quomodo probavit, *confirmationem electi tantundem in ratione vinculi efficere, quantum efficit electi, & confirmati consecratio*, etiam de jure tantum *ecclesiastico humano*? Ait 1.) *Non debet in dubium revocari, quin post electionem, & confirmationem canonicam inter personas eligentium, & electi sit CONJUGIUM spirituale contractum*: Repono: quis *canon*, ne dicam, quod *jus divinum*, asseruit hocce novum genus *conjugii*, resultans *præcisè ex electione, & confirmatione solâ*? Obstat profectò *cap. 1. dist. 100.*, in quo *ecclesia, habens Metropolitanum, sed nondum consecratum, ter dicitur esse adhuc viduata*: solvere nititur *Innocentius, non intelligi hoc casu*

ecclesiam VIDUATAM, quasi SPONSUM non habeat; sed, quia sponsus ejus nondum sit consecratus, adhuc QUOAD QUÆDAM quasi viri maneat solatio destituta, sicut, juxta communem modum loquendi dicitur ecclesia viduata, quæ licet Episcopum habeat, inutilem tamen perhibetur habere. At sponsus, per metaphoram juris humani, habeat talis Ecclesia in Electo confirmato: ubi autem dicitur habere maritum, & virum ante consecrationem sponsi? Nōne vidua, sponsum novum carnalem habens, vera est vidua, donec actu contrahat matrimonium? Cur ad improprietatem verbi confugitur, ubi nihil urget à proprietate verbi recedere? ubi tūc dici potest, confirmationem de se plus non esse, quàm sponsalia de futuro conjugio spirituali, per Superiorem approbata, subsequi sponsalia de presenti, quando peragitur consecratio, consummari hoc metaphoricum conjugium, dum Episcopus baptizando, & ordinando clericos, generat suæ uxori filios? Sine actu enim ad generationem ordinato consummari matrimonium quis intelligat? Ait 2.) Vinculo confirmationis profecto nihil addi per dignitatem episcopalem? Quare? Cùm quis, inquit, episcopali præditus dignitate nullus tamen Ecclesie possit esse Episcopus. Ergo inprimis frustra sunt illi, qui fortioritatem vinculi hujus conjugalis quærunt in characteribus indelebilibus; hic quippe secundum hanc literam ad rem non est, nec aliquid addit: deinde verum quidem est, quod possit aliquis esse Episcopus Ecclesie Catholice, quin sit alicujus specialis Ecclesie Episcopus; at nego, esse quemquam Episcopum Ecclesie specialis, quin sit Episcopus Ecclesie Catholice; ita parum verò Electus solum confirmatus est unius, vel alterius Episcopus, ut secundum canones ne quidem nominetur Episcopus; quomodo ergo erit unus ex illis, quos canones nominant Episcopos, dum eorum uxores appellant ecclesias? Si dignitas episcopalis in abstracto me non facit virum uxoris spiritualis, facit me tamen consecratio episcopalis in concreto ad certam ecclesiam ordinari; & sanè mirum esset, si omne perficeretur verbo hominis confirmantis, nihil adderetur sacramento consecrationis. Episcopos ponit Spiritus S in particularibus ecclesiis. Can. 46. VII. q. 1. versu: attendite itaque vobis, & omni gregi: Episcopus sacatur ad certam ecclesiam. can. 11. ibidem; & idem ipse Innoc. III. in cap. 2. b. t. statuit, quod Electum, & Confirmatum Abricensem, qui per Metropolitanos ad Andegavensem Ecclesiam translatus indebitè fuerat, atque ad hanc consecratus, munus CONSECRATIONIS sibi impensum, nec PRIORIS ecclesie ipsum Pontificem fecerit, nec SECUNDAM; cùm AD PRIMAM non fuerit consecratus, & AD SECUNDAM (priori vinculo perdurante) non potuerit canonicè consecrari, adhuc conjugaliter alteri alligatus: ergo consecratio ad certam ecclesiam facit episcopum certæ ecclesie; sed esse episcopum certæ ecclesie plus est, quàm esse duntaxat electum, & confirmatum certæ ecclesie: ergo consecratio plus addit, etiam respectu certæ ecclesie: nempè datus ecclesie per electionem, & consecrationem est



tantum datus ab homine: datus per consecrationem est datus à Deo. Sed reflectis! Quid ergò, si Episcopus contra Chalcedonense ab initio fuisset vagè ordinatus, aut post renunciationem suæ ecclesiæ, honore retento, alteri Episcopatus datus? Tunc certè dabitur suæ uxori spirituali absque ordinatione novà: ergò ad accipiendam spiritusalem uxorem sufficit verbalis deputatio, vel bullaris. R. Ut sit deputatus ab homine C. à Deo N. Nullus ponitur immediatè à Spiritu S. ad certam Ecclesiam, nisi, qui ad eam, simul, & universalem, sacratur: reliquos, vagè, id est ad solam universalem, ordinatos, posuit Spiritus S. in Episcopatu Ecclesiæ Catholice, qui unus est, atque indivisus, can. 6. VII. q. 1. can. 13. XXIV. q. 1., sive quis actu sponsam habeat, sive non, sive hanc habeat, sive illam: supposito, quòd in Episcopatum (cujus, salvo centro unitatis, Primatu nempe Petri, à singulis, ut ait loc. cit. S. Cyprianus, in solidum pars tenetur) aliquis per consecrationem adlectus fuerit, jam illi perinde est, cui civitati ab homine, determinante locum, præficiatur; dum enim hanc particularem regit, simpliciter regit Ecclesiam Dei, quæ ipsa una est, atque indivisa, tota in toto, & tota in quâlibet parte toti coadunata: Ex his vides, quomodò Episcopum jam consecratum faciat homo determinans ei civitatem, spiritusalem maritum; quin hoc ipsum facere queat cum non consecrato: nudæ igitur confirmationis tanta virtus ex se non est, quantam ei primus h. cap. tribuit Innoc. III.; cum ipsa facere non possit Episcopum, neque universalis, neque particularis Ecclesiæ, sed solummodò, ex instituto sequioris avi, tribuat exercitium jurisdictionis quasi-episcopalis.



P A R E R G A.

EX JURE GENTIUM.

TEXTUS.

Qui pro usu, aut vestimentorum, aut argenti, aut jumenti, mercedem aut dedit, aut promisit, ab eo custodia talis desideratur, qualem diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet. §. 9. Inst. de locat. conduct.

Quæstio. An ergò in conductione rei alienæ ad usum naturalis ratio requirit summam diligentiam? R. Et naturalis, & civilis ratio requirit summam in custodiendo, sola naturalis in utendo.

Additio. *In transportatione conductâ tam naturalis, quàm civilis ratio jubet præstari à conductore transportationis culpam levissimam.*

EX JURE CANONICO.

Ad Tit. XIII. Lib. IV. Decretal.

- I. *Tam consanguinitatis, quàm affinitatis, incestus olim habuit poenam cælibatûs perpetui;*
- II. *Nec olim satis constabat, utrum esset impedimentum solùm impediens, an etiam dirimens cujuscunque matrimonii.*
- III. *Hinc justitia, vel injustitia divortii celebris Lotharii II., Austrâsiae Regis, à Theutbertâ, incestûs cum proprio fratre, ante nuptias cum Rege, insimulatâ, accedentibus insuper aliis cause circumstantiis, non est in claris.*
- IV. *Deproperabatur tunc causa gravissima Aquisgrani, Metis, Romæ; THEUTGAUDUS Trevirensis Archiep. propterea nimis calenter deponeretur à NICOLAO I. in synodo particulari Romanâ.*

Ad Tit. XIV.

Quaternus graduum numerus bene congruit prohibitioni conjugii corporalis: quare? Quia quatuor sunt humores in corpore, qui constant ex quatuor elementis, cap. 8. h. t. Ridcas; nos, bonam causalem esse, sustinebimus.

Ad Tit. XV.

- I. *Individua vita Societas, quâ putativi conjuges tanquam frater, & soror permanerent, regula esse nequit, sed rarissima exceptio.*
- II. *Capitula hujus tituli innuunt, tunc nondum extitisse persuasionem, dissolvi posse matrimonium duntaxat ratum aliter, quàm professione religiosâ.*

Ad Tit. XVI.

- I. *Interdictum Ecclesie regulariter est impedimentum tantùm impediens matrimonii, aliquando verò & dirimens.*

- II. *Et consuetudo, & lex sæculi, possunt impedimenta matrimonii dirimentia inducere.*
- III. *Dominus territorii non ladii subditos Protestantes, si eis interdicitur matrimonia tertii, imò & quarti gradus.*

Ad Tit. XVII.

- I. *Difficile cap. 13. h. t. sustinere conabimur, sicut jacet.*
- II. *Per nuptias avi cum concubinâ non legitimatur respectu ejus nepos, si filius eo tempore jam sit mortuus.*

Ad Tit. XVIII.

Nullitas matrimonii, licet ex jure tantum positivo sit, nec prescriptione temporis, nec bonâ fide, ab accusatione salvatur.

Ad Tit. XIX.

- I. *Adulterium non est causa divortii quoad vinculum, si matrimonium sit consummatum, si autem sit merè ratum, credimus ab Ecclesiâ dissolvi posse.*
- II. *Sacra Synodus Tridentina can. 7. de Sacram. Matrimon. noluit anathema dicere, tenentibus, & praticantibus contrarium Gracis de vinculi divortio ob adulterium.*

Ad Tit. XX.

- I. *Pacta successoria, in omnibus quoque bonis, valent inter conjuges.*
- II. *Verior est opinio, mulierem dotis causâ præferri creditoribus hypothecariis, etiam expressam anteriorem hypothecam habentibus.*

Ad Tit. XXI.

- I. *Nulla lex civilis ideo præcisè mulieri binuba infamiam indicere potest, quia nubit intra annum luctus.*
- II. *Potest autem, si nubat cum periculo incerti conceptus.*

CASUS CANONICUS.

De consuetudine loci sanum non est decimabile: unus facit ex agro frumentario praxum, alter ex prato agrum: neuter vult solvere decimas. Q. quis rectè eas denegat? R. solus primus.

EX JURE CIVILI.

Continuantur tituli si adversus Lib. II. Cod.

Ad Tit. XXXIII.

Legati nulliter relictæ solutio per minorem facta tunc solum indiget restitutionis auxilio, si legatum jure naturali valuerit, civili non valuerit.

Ad Tit. XXXIV.

- I. *Mulier omnia sua bona dare marito in dotem potest.*
- II. *Præcisè omnia sua bona inferendo nihil dat in dotem.*
- III. *Non esse curema, vel consultius, omnia bona in dotem tradere, contra P. Engel probat. l. un. h. t.*

Ad Tit. XXXV.

Crimen minoris salva à dolo, & pete restitutionem, etiam adversus culpam latam, imò dolum præsumptum.

Ad Tit. XXXVI.


Adversus præscriptionem, cui non inest usucapio, minor est ipso jure tutus: adversus usucapionem verò, sive mobilis rei, sive immobilis, indiget restitutione.

Ad Tit. XXXVII.

Minor vendens, à Fisco emptore circumventus, non alligatur quidem ad alternativam l. 2. C. de rescind. vendit., attamen verò ad probationem læsionis ibi requisita.

Ad Tit. XXXVIII.

or adversus creditorem, gratis, vel erga fœnus, mutuò dantem, restituitur, nisi creditor probet versionem mutui in rem minoris.



CASUS CIVILIS.

Primus, & Secundus instituuntur heredes, Primus vendit hereditatem suam Tertio, postea deficit Secundus. Q. Cui accedet portio deficiens secundi? R. Tertio.

EX JURE PUBLICO S. R. I.

- I. Nequit manere Rex Germaniæ, qui depositus est quæ Imperator.
- II. Nequit deponere Imperatorem, quæ talem, qui nequit deponere Regem Germaniæ quæ talem
- III. Nequit deponere Regem Germaniæ quæ talem, qui nequit deponere Imperatorem quæ talem

EX JURE FEUDALI.

Eques inclyti Ordinis Teutonici, si solus patri vasallo superstes fuerit, ei succedit in feudo; si unâ cum fratre, etiam in sacris constituto Clerico, hic ei præferitur.

EX JURE CRIMINALI.

Fiscus me accusat homicidii: debet ergo allegare qualitatem ejus, & quam allegat, probare: hæc non probatâ reus absolvetur, saltem ab observatione judicii.


EX JURE TREVIRENSI.

Mater, que in casu tit. 1. §. 31. in fin. filio potuit exemplariter substituere etiam in paternis, substituit autem unice in maternis, non substituit validè, sed relinquit locum successioni ab intestato.

HISTORICUM.

Estne verum, quod Honorius I. Papa fuerit monothelita hereticus, & sub hoc nomine à synodo VI. damnatus? R. Primum non est verum; secundum non inficior.

I. O. G. D.



⊗ ○ ⊗ ⊗

IUS CIVILIS.

untur heredes, Primus vendit hereditatem deficit Secundus. Q. Cui accescet portio Tertio.

PUBLICO S. R. I.

niae, qui depositus est quâ Imperator. em, quâ talem, qui nequit deponere Re- calem Germaniæ quâ talem, qui nequit depone- à talem

RE FEUDALI.

ci, si solus patri vasallo superstes fuerit, ei unâ cum fratre, etiam in sacris constituto rtur.

E CRIMINALI.

lebebit ergo allegare qualitatem ejus, & quam non probatâ reus absolvetur, saltem ab obser-

E TREVIRENSI.

. 31. in fin. filio potuit exemplariter substiti si, substituit autem unice in maternis, non relinquit locum successioni ab intestato.

TORICUM.

is I. Papa fuerit monothelita hereticus, & lo VI. damnatus? R. Primum non est ve- n inficior.

O. G. D.

TIFFEN Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007